155
1554

ORDINES
NOVI.
CIVITATIS LAVDAE.
SVPER VICTVALIIS,
ET DAMNIS AGRORVM.



M. D. LXII.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

RVBRICAE.

A.

De Accuſis contra molinarios dandis. folio.xiiii.
Accuſis pro damnis datis. fol. xxix.
Aliquo uaſe a uino non portando per Bren tiferos præter brentas. fol. xix.
Appellationibus. fol. ii.
Aqua non tenenda per tabernarios ubi tenent uinum. fol. xviii.
Aqua immunda uel alia re turpi non proiicienda in ſtratis. fol. xxiii.
Aromatariis. fol. viii.

B.

Baculo per brentiferos portando. fol. xix.
Blado leguminibus,& farina cum ſaccis affundatis,reſtituendis. fol. xvi.
Blado non macinãdo ſuper mola,ſuper qua macinatur galla,uel linoxa. fol. xiiii.
Brentiferis. fol. xix.
Brentiferi teneantur currere ad ignem tempore incendii. fol. xx.

C.

Campariis. fol. xxv.
Capita uitulorum,& crura bouum ſeparatim uendantur. fol. vi.
Carnibus in abſcondito non tenendis. fol. vii.
Carn ibus non miſcendis in banchis. fol. vii.
Carn ibus non uendendis ante diem clarã. fol. vii
Carnibus morboſis non ducendis,nec uendendis in Ciuitate Laudæ. fol. vi.
Cedula ſuper carnibus affigenda. fol. vi.
Clauicis cooperiendis. fol. xxiii.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМ. І.І. МЕЧНИКОВА

Columbis non capiendis,nec occidendis. fol. xxiii,
Confectoribus coriorum,& pellizariis fol. xxiiii.
Confirmatio ſtatutorum per literas Excel-
len. Senatus Mediolani. fol. xli.
D.
Damnis hinc retro datis denuntiandis. fol. iii.
Diuiſio clauſorum. fol. xxiiii.
Duodecim ſapientes communis Laudæ ire
poſsint ad penſandum panem. fol. xii.
E.
Edictum publicationis ſtatutorum. fol. xli.
Electione officio,& poteſtate D. officialiũ
uictualium,& damnorum datorum ciui-
tatis,& diſtrictus Laudæ. fol. i.
Electione Notarii ad exactionem condem-
nationum. fol. iiii.
Executione condemnationum fienda. fol. iiii.
Ex proceſſu ſuper accuſatione facto nullũ
fiat p̃iudiciũ proprietati nec poſſeſsioni. fol. xxx.
F.
Farina reddenda. fol.xiiii.
H.
Hoſtio Tabernæ D.officialibus aperiẽdo. fol.xviii.
I.
Interogatus nomen & cognomen teneatur
interoganti exprimere. fol. xxx.
Iuſtis menſuris & ponderibus dandis. fol. v.
L.
Laudẽſis teneatur pro foreſi damnũ dãte. fol.xxxiiii.
Limitatione pretii. fol. v.
M.
Menſuratoribus bladorum. fol. xx.
Menſuris tenendis per tabernarios. fol. xvii.
Modo tenendi panem uenalem. fol. xi.
Modo & forma æſtimandi damna data. fol. xxxi.
Molinariis. fol. xiii.
Molinariis non ſuppoſitis iuriſditioni D.
Prætoris Laudæ. fol. xv.
Molinarii utantur beſtiis bullatis. fol. xvi.
N.
Nomina omnium Decurionum. fol. xliii.
Non laboretur diebus feſtis. fol. xxiiii.
Notificatione damni dati domino danda. fol. xl.
Nulla quadrupes dare debeat damnum. fol. xxxii.
Nullus faciat lignum alicui tabernario. fol. xvii.
O.
Oblatione æſtimationis damni dati. fol. xxxi.
Officiales teneantur ire ad uidendum locũ. fol. xxxi.
Olitoribus. fol. xi.
Operariis. fol. xxiiii.
P.
Pane bene coquendo per Furnarios. fol. xi.
Pane ad ſufficientiam tenendo. fol. xi.
Pane de miſtura. fol. xii.
Pœna temerè accuſantis. fol. ii.
Pœnis diſtribuendis. fol. iiii.
Pœna D.officialiũ omitentiũ pretia limitare. fol. vi.
Pœna piſcantis contra uoluntatem domini. fol. ix.
Pœna reuenditoris piſcium. fol. x.
Pœnis piſtrinariorum. fol. xii.
Pœnis molinariorum. fol. xv.
Pœna molinarii ſuper farina equitantis. fol. xvi.
Pœnis contra perſonas damnum dantes. fol. xxxii.
Pœna excoriantis aliquas quadrupedes , in
ciuitate,& burgis Laudæ. fol.xxiiii.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. МЕЧНИКОВА

Pœna iniuriantis D.officiales,accuſatorem, uel notarium. fol. xl.
Piſcatoribus. fol. ix.
Piſcibus ad ciuitatem Laudæ portandis per uias rectas. fol. ix.
Piſcibus portandis & uendendis in platea maiori Laudæ. fol. x.
Piſcibus non tenendis in abſcondito fol. x.
Piſcibus tenendis ſuper bancho. fol. x.
Plauſtris ducendis per caredezzias. fol. xxiii.
Porticibus ciuitatis non impediendis. fol. xxii.
Pretio uini limitando. fol. xviii.
Pretio carnibus limitando. fol. vi.
Piſtrinariis. fol. xi.
Probationibus. fol. iii.

Q.

Qualiter queſtio ætatis ſit decidenda. fol. xxix.

R.

Regiſtratio ſtatutorũ ad Archiuiũ Laudæ. fol. xlii.
Relatio Præconum de publicatione ſtatutorum facta. fol. xlii.
Reuenditoribus pullorum,& aliarum quarumcunquè auiũ,leporumquè & ouorũ. fol. viii.
Reuenditoribus lignorum à foco. fol. xx.
Rudere uel aliis immunditiis non tenendis in platea maiori Laudæ, nec alibi in ciuitate Laudæ. fol. xxii.

S.

Sacramento uendentium ad pondus uel menſuram. fol. v.
Satisdatione præſtanda per Becchariοs. fol. vii.
Satisdatione præſtanda per molinarios. fol. xvi.
Satisdatione per menſuratores bladorum præſtanda. fol. xx.
Signo tenendo per tabernarios. fol. xviii.
Sindicatu D.Officialium. fol. ii.
Sterquiliniis,& cloacis non euacuandis,de die. fol. xxii.
Stratis publicis aptandis fol. xxi.
Stratis non impediendis. fol. xxi.
Stratis publicis,per Tabernarios non impediendis. fol. xviii.
Sues non uadant per ciuitatem Laudæ. fol. xxiii.

T.

Tabernariis. fol. xvi.
Tabernis claudendis,poſt ſonũ Campanæ. fol. xviii.
Termino denuntiandi,& accuſandi. fol. ii.
Termino petendi reſtitutionem damni contra Camparium uel Cõmune. fol. xxx.

V.

Vendentibus ad pondus,uel menſuram. fol. iiii.
Venditoribus candelarum ſeui,& limitatione pretii earum. fol. vii.
Venditoribus ſeu reuenditoribus Caſei Butyri,olei,& aliarum pinguedinum, fol. viii.
Venditoribus rerũ ſalſarũ,quadrageſimaliũ. fol. x.
Venditoribus lapidum coctorum. fol. xxi.
Venditoribus Calcis. fol. xxi.
Viis in ciuitate & burgis Laudæ non fodiendis. fol. xxi.
Viis publicis, ſeu priuaris, acceſsibus, & pontibus manutenendis. fol. xxxix.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І.І.МЕЧНИКОВА

PHILIPPVS
DEI GRATIA
Hiſpaniarum, utriuſquè Siciliæ &c.
REX, & Mediolani DVX &c.

Cum ſucceſsione temporum , fiat quandoquè
hominum uita deprauatior , Bellaq; , quæ an-
teactis annis uiguère , animos ad rerum uenali-
um fraudes , & aliena diripienda procliuiores
ac furtis damnisq; agris inferendis , magis intre-
pidos , & audaces induxerint , Decuriones no-
ſtræ ciuitatis Laudæ animaduertentes nouis reme-
diis ad auſus huiuſmodi coercendos , & prædiorũ
ſuorum fructus aſſeruandos opus eſſe, Compila-
tis nouis ordinibus & ſtatutis , preces ſequentis
exempli nobis dedère. videlicet. Sereniſsime Rex,
Cum pro temporum uarietate, ſtatuta uariare re-
prehenſibile non ſoleat iudicari , præſertim . Cum
urgens neceſsitas, uel euidens Reipub. utilitas, id
expoſcit. Ideò creſcente in dies hominum malitia ,
crebrisquè emergentibus undiquè querimoniis ,
hominum conquerentium, damna paſsim in agris
dari, fraudeſquè circa uictualia quàm plurimas fie
ri & tandem omnia in ciuitate, & iuriſditione Lau
dæ , nullo ferè ſeruato ordine procedere . Viſum
fuit ipſius ciuitatis Decuriõibus, quibus Reipub.
cura imminet, uetera municipalia iura, quæ ad dam
norum datorum uictualiumquè materiam perti-
nent, & quæ ciuitatis ornamentum , & utilitatem
reſpiciunt reformare, ac non nulla pro Cõmuni bo
no & utilitate addere, pœnaſquè contra delinquen
tes cominatas augere, ut quantũ malorum in dies

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

ſe extendit malè agendi cupiditas, tantum eorum
mala opera puniendi mediante legis uirtute, augea
tur facultas. Quas ob res fidelisſimi. M. V. Serui
Decuriones ipſius Ciuitatis ſuæ Laudæ ea omnia
ſub alto iudicio. M. V. exhibent, Humiliter ſup-
plicando dignetur, ea approbare, & confirmare. De
cernendo illa omnia in uim legum municipalium
ualere & tenere, ac ab omnibus in ciuitate & iuriſ-
ditione ſeu territorio Laudæ, ad unguem, & inuio-
labiliter obſeruari debere, memoratis ueteribus ſta
tutis ac aliis iis cõtrariantibus minimè attentis, qui-
bus omnibus. M. V. Derogare dignetur, ut ſpera-
tur ſubſcripta. Octauianus Vignatus pro Ciuitate
Orator.

Reperitur in libro prouiſionum Magnificæ Cõmuni
tatis Ciuitatis Laudæ inter alia ſic forè ſcriptum
uidelicet. M. D. L I X. die Veneris quarto men
ſis Auguſti in camera armariorum Cõmunis Lau-
dæ ſita in Burleto præfatæ Ciuitatis, in præſentia
Magnifici & Clarisſimi iuriſconſulti dñi Franciſci
Caneualii prætoris, & Vicarii Prouiſionum præfa-
tæ Ciuitatis, Magnifici D. Camillus Pontirollus
pro D. Franciſco Pontirollo D. Io. Baptiſta de Ma
colis, pro D. Alexandro de Ello D. Io. Baptiſta de
Epiſcopo, D. Antonius Maria de Laqua, D. Ste-
phanus de Villanis, D. Io. Baptiſta Modignanus,
Dñs Ioannes de Brauis, D. Tiberius de Azate
pro Magnifico Doctore D. Paulo Emilio Su-
maripa, D. Miffæus de Micolis pro, D. Octa-
uiano Modòetia, D. Marcellus de Concorigio pro
D. Io. Angelo Vignato. §. Supranumerarii Magni
fici D. Pomponius de Ottolinis, D. Io. Auguſti-
nus Bononus, D. Iacobus Andreas de Cagnolis,
D. Bernabos de Mayneriis, D. Albertus de Barni,
D. Io. Baptiſta de Doſſo, D. Theodorus de Ponte,
D. Hieronymus de Carminatis, D. Vgulotus de
de Bononis, D. Alexander de Gauatiis, D. Ioan-
nes de Gauatiis, D. Fabius de Fiſiraga, D. Franci-
ſcus de Basſis, D. Baptiſta de Camolis, D. Bartho-
lomæus de Bracchis, D. Mercurius Ottolinus, &
dominus Antonius de Ricardis. §. Illi de popu-
lo præfatæ Ciuitatis uidelicet, dominus Camillus
de Vignate, D. Franciſcus de Corteſiis, D. Geor-
gius de Bononis, D. Balthesſar de Codazuris, D.
Eraſmus de Biſnate, D. Io. Andreas de Maldotis,
D. Vincentius de Sablis, D. Io. de Bergognonibus
D. Octauianus de Dentibus, D. Alphonſus
de Cademuſtis, D. Io. Paulus de Barni, D. Hora-
tius de Habonis, D. Io. Paulus della Valle, D. Ber-
nardus de Deſtreriis, D. Auguſtinus de Vitulo-
nibus, D. Franciſcus de Medicis, D. Proſper de
Ponte, D. Io. Basſianus de Quareſmis, D. Manſeu
lus de Papienſibus, D. Ioannes Lanterius, D. Ioan
nes de Ferrariis, D. Albertus de Cattaneis, D. Tran
quillus de Zumalis, D. Io. Antonius de Nigris,
D. Io. Antonius de Iſellis, D. Cæſar de Moronis.
Præfati Magnifici D. Præſidentes, Supranumera-
rii, & de populo præfatæ Ciuitatis ibidem conuo-
cati, & congregati, mandato præfati Magnifici dñi
prætoris prius pulſata Campana magna Eccleſiæ
maioris, Quæ ſolet pulſari pro congregatione po-
puli, ipſius ciuitatis, & Conſilii generalis faciendi,
pro negotiis totius Ciuitatis, Et prius facta expoſi-
tione in præfato Conſilio generali ꝑ præfatos Ma

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І.І. МЕЧНИКОВА

gnificos dños Camillum Pontirolum Doctorem,
D. Vgulotum Bononum, D. Marcellũ de Con-
corigio,& D. Alexandrum de Gauatiis, ex Magni
ficis D.aliàs Electis per præfatam Cõmunitatem,
pro reformatione ſtatutorum Cõmunis Laudæ,&
maximè ſtatutorum editorum ſuper ordinibus ui-
ctualium,ſtratarum,& damnorum datorum,in ciui
tate,clauſis,& Epiſcopatu Laudæ,ibidẽ exhibito-
rũ.Et quæ congregatio & generale.Conſiliũ factũ
fuit ad habenda uota à præfatis D. Præſidentibus
& ſupranumerariis, & à populo præfatæ ciuitatis
Laudæ,ſuper cõfirmatione ipſa fienda,& datis ſuf
fragiis per omnes congregatos ut ſupra in buſſola
alba uincenti, nemine diſcrepante per ſuffragia al-
ba,obtentum fuit partitum, quòd ſtatuta ipſa,con
firmentur,& prout per præſentes præfati D. Præ-
ſidentes,ſupranumerarii & de populo,ea omnia ſta
tuta,& reformationes per præfatos aliàs electos ut
ſupra edita & factas,approbauerunt,& approbant
attento quòd cõcernunt beneficiũ publicum Rei
publicæ Laudæ. Et ſupplicant Maieſtati Regiæ,
ut dignetur per ſuas literas patentes confirmare.§.
Ego Aluiſius Zimalus notarius publicus Laudæ,
ac Cancellarius præfatæ Cõmunitatis Laudæ præ-
dicta ab originali extrahi, & ſcribi feci, & pro fide
me ſubſcripſi.§.Iiſdem itaque ordinibus per unum
ex Senatoribus noſtris in Senatu propoſitis,aliqui
bus uiſum fuit addendum, aliquibus diminuen-
dum,non nulla etiam reiicienda, aliqua autem, ut
ſcripta erant,admittenda, unde idem Senatus Mo
tus eadem ratione, qua decuriones fuerant ipſos
ordines,& ſtatuta, in hunc modum redacta.



DE ELECTIONE OFFICIO. ET POT. D. OFFICIAL. VICTVAL. & damnorum datorum Ciuitatis & diſtrictus Laudæ.

S Satuimus,quòd ſingulo anno in prin
cipio menſis Ianuarii, per Magnificã
Cõmunitatem Laudæ, cum maiori ta
men numero Decurionum, eligantur,
quatuor ex ipſis D. Decurionibus in
officiales uictualium,& damnorum datorum,qui
iurare debeant tempore electionis per eos accep
tandæ in manibus D.Prætoris Laudæ,de benè re
ctè,legaliter,& iuſtè exercendo officiũ ſuũ, & de
obſeruando præſentia ſtatuta.§. Et quorũ officiũ
durare habeat per annum.§. Qui officiales habe
ant poteſtatem & auctoritatem inquirendi, pro-
cedendi, & cognoſcendi, omnes ſimul, & unus

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І.МЕЧНИКОВА

eorum, etiam ſolus,& de per ſe.§.Diffiniendi uerõ
ſententiandi, condemnandi, uel abſoluendi, ma-
ior pars eorum in concordia, cum D. Iudice ui-
ctualium Magnifici D. Prætoris Laudæ, ſuper om
nibus uictualiis, & ad uictualia qualitercunque
ſpectantibus, ac etiam ſuper ſtratis tam publicis,
quàm priuatis Ciuitatis, Burgorum, clauſorum, &
Epiſcopatus Laudæ,& etiam ſuper omnibus dam
nis datis in Ciuitate, Burgis,& clauſis Laudæ.§.Su
per damnis uerò, datis in Epiſcopatu Laudæ in cõ-
cordia præfati domini Prætoris.§.Et D. officiales
ſuper omnibus prædictis inquirere, procedere, co-
gnoſcere,& diffinire posſint, omni die, etiam feria-
to, exceptis tamen diebus feriatis in honorẽ DEI,
narratis in ueteri ſtatuto de feriis,& etiam non ſer-
uata ſolemnitate iuris, ſed ſimpliciter, de plano ſine
ſtrepitu,& figura iudicii, & ſola facti ueritate inſpe
cta, friuolis exceptionibus quibuſcunque ommiſ-
ſis, ac etiam non obſtante ueteri ſtatuto de ſapien
tibus dandis, ſeruata tamen ſemper forma præſen-
tium ſtatutorum. §. Et inſtantia cauſæ principalis
coram ſupra dictis D.officialibus, non duret, nec
durare habeat, ultra dies uiginti utiles, à die porre-
ctæ accuſationis, ſeu inuentionis factæ connume-
randos. §. Et prædicti D. officiales non posſint
quicquam accipere à delinquentibus, & contraſa-
cientibus præſentibus ſtatutis, etiam ſponte danti-
bus, ſub pœna aureorum uigintiquinque Cõmu-
nitati applicanda, ac etiam ſub pœna priuationis of
ficii.§. Et quòd in futurum non posſint deputari
ad officium prædictum, & etiam ſub maiori pœna
arbitrio præfatæ Magnificæ Cõmunitatis Laudæ,

attenta qualitate facti.§. Item ſtatuimus q; tempo
re nouæ electionis fiendæ, eligantur per præfatam
Magnificam Cõmunitatem, duo ex officialibus
anni præteriti, qui remanere debeant in eodem of-
ficio, per alium annum ad maiorem aliorum inſtru
ctionem.§. Et finito Biennio, etiam ipſi duo ſin-
dicari debeant,& ſic ſuccesſiuè de anno in annum
quatuor noui officiales eligantur,& duo ex ueteri-
bus, Ita q; quolibet anno ſex ſint in officio.§. Et
poſtquam aliqui ſemel electi fuerint, in officiales
ueteres, non posſint amplius eligi, pro anno ſe-
quenti.

DE SINDICATV DICTORVM OFFICIALIVM.

STatuimus, quòd omnes officiales per tempora
eligendi, teneantur per menſem unum, poſt fini-
tum eorum officium, ſe ſubicere ſindicatui, coram
D. Prætore Laudæ, una cum notariis officii ſui,
Ita q; liberum ſit cuilibet perſonæ contra eos agere
ſi quid iniuſtè dicti officiales, uel aliquis eorum in
ſuo officio egerit,& hoc coram præfato D.Præto-
re coram uel D.Sindicatore D.Prætoris.

DE APPELLATIONIBVS.

STtatuimus, quòd appellare uolens à ſententia, ſeu
condemnatione per D.officiales ſupradictos fa-
cta, teneatur hoc facere intra dies tres à die intima
tionis ipſius ſententiæ ſeu condemnationis nume-
randos.§. Item teneatur dictam appellationem pro
ſequi,& terminari facere, infra quindecim dies, a die
appellationis interpoſitæ numerandos.§.Et appel-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

lationes deuoluantur D. Prætori Ciuitatis Laudæ, qui eas cognoſcere & decidere teneatur, ſeruata forma, & diſpoſitione præſentium ſtatutorum. §. Saluo ꝙ à condemnationibus nō excedentibus quantitatem librarum uiginti quinque imperialiū ſuper damnis tunc datis terendis, & ab aliis ſuper uictualiis nō excedentibus libras uigintiquinque imperialium appellari, quærellari, vel excipi, & de nullitate dici non poſsit, ſed tales condemnationes exequutioni mittantur.

DE TERMINO DENVNTIANDI, ET ACCVSANDI.

STatuimus, quòd accuſæ, & denuntiæ, quæ dari contingerint contra delinquentes, in Ciuitate Burgis, & clauſis Laudæ, dari debeant infra octo dies, & contra delinquentes in Epiſcopatu infra duodecim dies, à die delicti Comiſsi, cū declaratione dici qua delictum fuerit cōmiſſum, & reſpectu damnorum datorum, cum declaratione qualitatis damni dati, & cum declaratione rei, & petiæ terræ, in qua datum fuerit damnū, cum duabus ſaltem proximis choærentiis, Et accuſæ, & denuntiæ aliter datæ, nō ualeant ipſo iure, nec ſuper eis procedatur.

DE POENA TEMERE ACCVSANTIS.

STatuimus, quòd ſi aliquis accuſationem dederit à qua accuſatus de iure ex forma præſentium ſtatutorū ueniat abſoluendus, condemnetur accuſator in illam pœnam, in quam accuſatus ueniſſet condemnandus, & ēt in expenſis factis, & paſsis per

per accuſatum, occaxione talis accuſæ, arbitrio tamen ſupradictorum D. officialium taxandis.

DE DAMNIS HINC RETRO datis denuntiandis.

STatuimus, quòd pro damnis, & aliis Cōmiſsis, hinc retro à menſibus ſex citra, accuſari & procedi poſsit ſecundum formam, & diſpoſitionem præſentium ſtatutorum, dummodo accuſæ dentur infra dies quindecim à die publicationis præſentium ſtatutorum numerandos. Quo termino elapſo, nullus poſsit de cætero audiri pro damnis, & aliis comiſsis hinc retro.

DE PROBATIONIBVS.

STatuimus, quòd in omnibus cauſis, tā ſuper damnis datis, quàm ſuper uictualiis, & ad uictualia pertinentibus, iuxta diſpoſitionem præſentium ſtatutorum mouendis, ſtari debeat pro plena probatione iuramento accuſatoris, tam de damno ſibi dato, & inuentione perſonæ, uel animalis damnificantis, quàm de quantitate damni dati, uel delicti circa uictualia qualitercunque comiſsi, etiam ſi datum, uel comiſſum noctis tempore fuerit, uſque ad quantitatem librarum trium imperialium, & ultra accuſatus teneatur ad pœnam ſeu pœnas in infraſcriptis ſtatutis limitatas, & hoc niſi accuſatus cū iuramento ſuo, & uno teſte fide digno probauerit defenſionem ſuam. §. A dicta uerò quantitate librarum trium uſque ad quantitatem librarum decem pro plena probatione habeatur iuramentū accuſatoris cū depoſitione unius teſtis fide digni, niſi

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І.І.МЕЧНИКОВА

accuſatus per duos teſtes legitime probauerit defenſionem ſuam.§. A dicta verò quãtitate librarũ decem ſupra,accuſatori fides non dabitur, niſi eatenus quatenus legitimã fecerit probationem. Et hæc procedãt ſi accuſator non ſit Camparius. §. In delictis uero per Camparios denunciandis,uel accuſandis fides adhibeatur utſupra campario,cũ ſacramento vſque ad quantitatem librarũ ſex imperialiũ,& à dicta ſumma vſque ad ſummã librarum duodecim ei fides adhibeatur cũ ſacramento & vno teſte fide digno. §.A dicta verò quantitate librarum duodecim ſupra,ei fides non adhibeatur niſi eatenus quatenus conſtiterit, per legitimas probationes,& admittatur deffenſio modo ſupra dicto.§.in delictis verò per ipſosmet.D.officiales, vel per aliquem eorum circa uictualia , & ad uictualia ſpectantia inueniendis,nulla exigatur probatio,ſed facta inuentione procedere poſsint , & debeant ad condemnationes contra illum uel illos qui reperti fuerint deliquiſſe.§.Si uerò contingerit aliquod damnũ quomodocunque & qualitercunque dari in rebus,& bonis quibuſcunque dictorum.D.officialium ſeu alicuius eorũ, poſsit talis officialis damnũ paſſus,accuſare , ſicut quælibet alia perſona,ſeruatis præſentibus ſtatutis,ſed teneatur accuſationem ſuam coram D. Prætore Ciuitatis Laudæ proponere,qui de ea cognoſcere,& eam decidere teneatur ſeruatis ſemper præſentibus ſtatutis.

DE ELECTIONEM NOTARII AD EXACTIONEM CONDEMNATIONVM.

STatuimus, quòd dicti officiales teneantur,& debeant eligere & conſtituere unum ex notariis ſuis, illum,quem prælegerint magis idoneum, ad exactionem condemnationum per eos officiales factarum,& fiendarum. Qui notarius idonee ſatisdare teneatur de reddendo,& faciendo bonam rationem integram,& completam ſolutionem Cõmuni Laudæ, ſeu habenti cauſam ab eo,& campariis, & aliis ſingularibus perſonis accuſationes defferentibus, &,cuilibet eorũ, de omnibus, & ſingulis condemnationibus factis, & fiendis per ipſos officiales , & per eum notariũ exactis, ſeu quas exigere poterit , & hoc ſingulis duobus menſibus , ſi ab eo fuerit requiſitum , aut exhibere Buletam ipſi accuſatori de eius portione,ſi accuſator maluerit. §. Pro qua buleta habere debeat ab accuſatore denarios ſex , & hoc ſub pœna dupli eius,quòd ſpectaret accuſatori.§. Qui notarius teneatur penes ſe tenere cõtinuò unum librum officii ſub pœna librarũ viginti quinque quotienſcunque repertus fuerit eũ apud ſe non habere,Cuius pœnæ medietas ſit Cõmunis Laudæ,& altera medietas accuſatoris.

DE EXECVTIONE CONDEMNATIONVM FIENDA.

STatuimus,quòd ſupradicti D.officiales teneantur,& debeant ſub pœna per iurii infra octo dies, cõdemnationes exigere,ſeu exigi facere à quibuſcunque qui delinquerint, poſtquam condemnationes fecerint contra ipſos delinquentes,& in iudicatum tranſiuerint,ſeu confirmatæ fuerint uel in appellabiles.

DE POENIS DISTRIBVENDIS.

STatuimus,quòd quælibet pœnæ in quibus dantes damna & uictualia uendentes & quælibet aliæ perſonæ in præſentibus ordinibus comprehenſæ quomodocunque & qualitercunque incurrere contingerint, iuxta præſentium, ſtatutorum & ordinum diſpoſitionem, de quibus non fuerit ordinatũ quomodo,debeant diſtribui, diſtribui debeant hoc modo uidelicet,Oēs pœnæ pecuniariæ ſint ꝑ una tertia parte accuſatoris tam ſi ſit camparius quàm ſi ſit alia perſona,pro alia tertia parte Mag. Cōmunitatis Laudæ, & pro alia tertia parte ſint dictorum D.officialium,& hoc ſi accuſator interuenerit.§.Si uerò accuſator non interuenerit medietas pœnæ ſit Cōmunitatis & altera medietas dictorum D.officialium.§.In caſibus uerò, in quibus per præſentes ordines reperitur diſpoſitũ quòd res aliqua auferatur delinquentibus,res ipſa delinquentibus ablata, ſit pro medietate accuſatoris, & pro alia medietate detur pauperibus carceratis, uel aliis.§. Si uerò accuſator non interuenerit medietas ſit dictorum D.officialium,altera uerò medietas detur pauperibus carceratis,uel aliis pauperibus.

DE VENDENTIBVS AD Pondus, vel ad menſuram.

STatuimus, quòd omnes uendentes ad pondus, vel menſuram tam in ciuitate, quàm in burgis clauſis,& Epiſcopatu Laudæ teneantur infra quindecim dies,a die publicationis præſentium ſtatutorum numerandos, adæquari facere eorum menſuras, penſas,& pondera,& eos, eas,& ea adæquatas

&

& adæquata, manutenere,& conſeruare ad menſuram laudenſem,& hoc ſub pœna ſolidorum uiginti imperialiũ pro quolibet & qualibet uice.§. Item teneantur habere & tenere pondera ferrea, uel ænea, ac etiam teneantur eorum menſuras, & pondera imprimi facere ſigillo Mag.Cōmunitatis Laudæ p officialem ad hoc deputatum, ſub pœna ſolidorũ uiginti imperialium pro qualibet uice qua quis repertus fuerit uendere, uel in eius domo, ſeu apotecha, habere pondera non ferrea uel ænea, uel pondera & menſuras non impreſſas, uel impreſſa, ſigillo vtſupra.§.Et ſupradicti D.officiales teneantur ſaltem ſemel quolibet menſe in ciuitate,& burgis Laudæ inquirere, & quoslibet contrafacientes condemnare, & condemnationes exigere,iuxta formam præſentiũ ſtatutorum.

DE SACRAMENTO VENDENTIVM ad pondus, uel menſuram.

STatuimus quòd quilibet uendens, uel uendere uolens, tam per ſe,quàm per aliũ in ciuitate, burgis, clauſis,& Epiſcopatu Laudæ,aliquas res,quæ uenduntur, & uendi ſolent, ad pondus uel menſuram,teneatur ſemel in anno iurare in manibus ſupradictorum D.officialiũ ſecundum formam iuramenti inferius deſcriptam in termino totius menſis Ianuarii cuiuslibet anni ſub pœna ſolidorum quinquaginta imperialiũ cuilibet iurare omittendi.§.& deſcribantur per dictum notarium ſinguli qui iurauerint cũ eorum nominibus & cognominibus.§.Forma uerò iuramenti talis eſt uidelicet.

EGo. A. iuro ad ſancta DEI Euangelia tactis ſcripturis, ꝙ cuilibet uolenti emere res, quas habuero ad uẽdendum, uendam ad pondus, uel menſuram, debite referendo fideliter & iuſtè & cuilibet dabo iuſtam menſuram, & iuſtum pondus & nullam fraudem faciam, nec fieri permittã per me, nec per ſubmiſſam perſonam, tam in re, per me uendenda, quàm in eius pondere, ſeu menſura, & ꝙ non tenebo alias menſuras, nec aliã pondera, niſi illas & illa quæ adæquati, & imprimi fecero ſigillo Magnificæ Cõmunitatis Laudæ.

DE IVSTIS MENSVRIS & Ponderibus dandis.

STatuimus, quòd quilibet uendens ad Pondus, ſiue ad menſuram, teneatur cuilibet ementi res quaſcunque, & cuiuſcunque generis ſit, Ad iuſtũ Pondus, uel menſuram dare ſub pœna ſolidorum uiginti imperialiũ, ſi res uendita reperiatur defficere, uſque ad unciam unam in pondere, ſi uerò reperiatur defficere ultra untiam unã, puniatur, uenditorũ in libris tribus imperialium, in quibus libris tribus, puniantur etiam uendentes ad menſuram, Si repertũ fuerit aliquid indiſtincte defficere de iuſta menſura. §. & liberam habeant præfati. D. officiales facultatem, res quaſcunque emptas accipere de manibus emptorum, ſeu portitorum, & eas ponderare, & menſurare, ſeu ponderari, uel menſurari facere, ne fraudes remaneant impunitæ.

DE LIMITATIONE PRETII.

STatuimus, quòd dicti D. officiales poſsint, & ualeant pretium limitare, etiam aliis rebus ultra ſpe-

cificè

cificè in præſentibus ſtatutis expreſsis, & hoc quotieſcunque eis expediens eſſe uidebitur.

DE POENA D. OFFICIALIVM omittentium pretia limitare.

STatuimus, quòd ſi dicti D. officiales omiſerint, temporibus debitis, in præſentibus ſtatutis expreſsis, pretiũ limitare illis rebus, quibus per præſentia ſtatuta prouiſum reperitur (quod pretium limitare tenentur) incurrant pœnam librarũ quinquaginta imperialium Cõmunitati Laudæ applicanda, toties quoties rebus prædictis, uel aliquibus ex eis temporibus debitis utſupra pretiũ omiſerint limitare.

DE PRETIO CARNIBVS LIMITANDO.

STatuimus, quòd ſupradicti D. officiales, uel maior pars eorum, pretium limitare debeant, carnibus uitulorum & iuuencorum pinguium, bis in anno, uidelicet ſemel intra dies octo ante feſtum paſchatis reſurrectionis dñi, & alia uicè in feſto ſancti Michaelis. §. Et nihilominus poſsint etiam illud limitare toties quoties ipſis expedire uidebitur. §. Carnibus uerò iuuencorũ ſiuè bouum non pinguium, uel pecudum, pretium limitare debeant dietim, & ſingula uice. §. Et nullus becharius poſſit aliquem iuuencum ſiuè bouem non pinguem, nec aliquas pecudes interficere niſi priùs fuerint uiſi & uiſæ à præfatis D. officialibus, ſiuè à duobus ex eis, & niſi habita priùs ab ipſis, limitatione pretii talium carnium, ſub pœna cuilibet bechario con-

con-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ ГОРЬКОВА

contra facienti, ſolidorum uiginti imperialium pro qualibet uice, & ſecundum prædictas limitationes pretii utſupra debitè referendo ſiendas, teneantur becharii uendere carnes, & non ultra ſub pœna ſolidorum uiginti imperialiũ, pro qualibet libra carnis uenditæ ultra limitationes pretii utſup̄ ſiendas.

DE CEDVLA SVPER carnibus affigenda.

STatuimus, quòd becharii teneantur, ſuper carnibus iuuencorum non pinguium, & bouum, & pecudũ, affigere & affixam palàm tenere cedulã ipſis, à dictis D. officialibus dandam, tempore limitationis pretii continentem pretium earum carniũ, & eam amouere non poſſint, niſi ea tota carne uendita, ſub pœna ſolidorum uiginti imperialium cuilibet contra facienti qualibet uice.

QVOD CAPITA VITVLORVM, & Crura bouum ſeparatim uendantur.

STatuimus, quòd becharii non poſſint uendere capita uitulorum, nec crura bouum, ſeu iuuencorum, ſimul cum aliis carnibus ſed teneantur ea uendere ſeparatim, ſub pœna ſolidorum triginta imperialium qualibet uice contrafacienti.

DE CARNIBVS MORBOSIS non ducendis nec uendendis in ciuitate Laudæ.

STatuimus, quòd nullus becharius, nec aliqua alia perſona audeat, nec præſumat, ducere, ſeu conduci facere, nec portare aliquas quadrupedes morbo-

ſas in ciuitate Laudæ, nec earum carnes uendere, nec uendi facere per ſe, uel alium, ſub pœna librarum quinque imperialium pro qualibet uice contrafacienti.

DE CARNIBVS NON MISCENDIS, in banchis beccariorum.

STatuimus, quòd becharii uendentes carnes in ciuitate, & ſuburbiis Laudæ, non audeant tenere in bancho, in quo & ſuper quo carnes uendunt, carnes miſtas uidelicet bouinas cum uitulinis, & ſic de cæteris, ſed eas tenere debeant ſeparatas, ita q; de facili poſſint cognoſci ab omnibus emere uolentibus, & ſiquis contrafecerit puniatur pro quolibet, & qualibet uice in ſolidis uiginti imperialiũ.

DE CARNIBVS IN ABSCONDITO NON TENENDIS.

STatuimus, quòd nullus becharius, filius, famulus, uel coadiutor, audeat, nec præſumat tenere in abſcondito, in domibus becharjæ ſuæ, uel alibi, aliquas carnes uenales, Sed eas teneat in publico. §. Et uolentibus emere teneatur dare & uendere nec excuſetur, ſi dixerit eas uendidiſſe, ſed præſumatur q; non ſint uenditæ, ſi eas habuerit in domibus bechariæ vel ſuper bancho. Et quilibet contrafaciens puniatur qualibet vice in ſolidis viginti imperialium.

DE SATISDATIONE PRESTANDA PER BECHARIOS.

STatuimus, quòd quilibet becharius ciuitatis, burgorum, & Epiſcopatus Laudæ, qui nunc eſt, & in futurum erit, exercens officium becharıæ, teneatur & debeat in quolibet menſe Ianuarii cuiuslibet anni ſatis dare pro ſumma librarum centum de ſoluendo quamcunque pœnam, quam incurrere contingat ratione ſui exercitii, ſub pœna cuiuslibet non ſatisdantis librarum uiginti imperialium, qua pœna ſoluta, teneantur tamen ſatisdare utſupra. §. Teneanturque tenere carnes ad eorum becharias pulchras, & ſufficientes, qualibet die temporibus debitis ad ſufficientiam, ſub pœna librarum quinque imperialium pro quolibet, & qualibet uice.

DE CARNIBVS NON VENDENDIS
Ante diem claram.

STatuimus, quòd becharii non debeant uendere carnes in mane, ante diem claram, ſub pœna librarum trium imperialium pro qualibet uice cuilibet contra facienti.

DE VENDITORIBVS CANDELARVM
Seui & limitatione pretii earum.

STatuimus, quòd uenditores candelarum, teneantur & debeant uendere candelas ſeui, quibuſcunque emere uolentibus, ſecundum limitationes pretii per dictos D. Officiales fiendas bis in anno, uidelicet ſemel de menſe Aprilis, & alia uice de menſe Nouembris, ſub pœna ſolidorum decem imperialium pro qualibet libra candelarum uenditarum, ultra dictas limitationes utſupra debitè referendo fiendas. §. Et dicti D. officiales teneantur dictis temporibus pretiũ limitare dictis candelis. Et nihilominus poſſint etiam illud limitare, toties, quoties, ipſis uidebitur expedire. Et ubi dictis temporibus, ſeu altero eorum, non fuerit facta limitatio pretii, firma remaneat uetus limitatio, & ſecundum illam candelas uendere teneantur, ſub pœna prædicta. §. Item teneantur dicti uenditores candelarum in menſe Ianuarii cuiuslibet anni, in manibus Notarii dictorum D. officialium, fideiubere, pro ſummā librarum quinquaginta imperialium, de habendo, & tenendo de candelis ad ſufficientiam toto anno. Et ubi aliquis repertus fuerit non habere de candelis ſeui uenalibus, puniatur pro qualibet die in ſolidis quadraginta imperialium. §. Item teneantur dicti uenditores candelarum, uendere candelas de ſeuo puro. Nec poſſint in eo ſeuo ponere aliquam aliam pinguedinem, ſub pœna ſolidorum quadraginta imperialium pro qualibet libra candelarum. §. Et teneantur prædicti D. officiales, ſeu maior pars eorum de dictis candelis facere experientiam ſemel quolibet menſe, & condemnare contrafacientes, in pœnam ſupradictam.

DE VENDITORIBVS SEV
Reuenditoribus caſei, butyri, olei, & aliarum pinguedinum.

STatuimus, quòd prædicti D. Officiales, uel maior pars eorum, in menſe Ianuarii, cuiuslibet anni, & toties, quoties, eis uidebitur, limitare debeant pretium olei, butyri, & aliarum pinguedinum & iuxta limitationem pretii per eos fiendam, tene-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ ГОРЬКОГО

antur dicti uenditores ſeu reuenditores ſupradicta uendere, ſub pœna ſolidorum uiginti imperialium pro qualibet libra rerum ſupra dictarum uenditarum ultra limitationē pretii utſupra debite referendo fiendam.

DE REVENDITORIBVS PVLlorum & aliarum quarumcunque auium leporumque & ouorum.

STatuimus, quòd reuenditores pullorum, quarumcunque auium, leporum, ouorum, & aliarū huiuſmodi rerum, non poſsint emere, aut emi facere, aliquas res de ſupradictis ſuper plateis, ſtratis publicis, nec ad portam ciuitatis nec extra per medium miliarii ante ſonum campanæ ad hoc deputandæ, ſub pœna librarum quinque imperialium, pro quolibet, & qualibet uice, qua contrafecerint prædictis uel alicui prædictorum, & amisſionis, rerum. §. Et prædicta etiam procedant contra reuenditores fructuum, & olerum.

DE AROMATARIIS.

STatuimus, quòd præfati D. officiales, eligere habeant aliquem probum uirum aromatarium, & cū eo teneantur ſemel in anno accedere, adhibito conſule aromatariorum, ſi intereſſe uoluerit, ad ſingulas apotechas aromatariorum ciuitatis Laudæ ad uidendum medicinalia, & omnia alia, an bona, & electa ſint, uel nè, Et eis credatur omni exceptione remota, Et ubi reperierint res aliquas, non bonas, teneantur eas comburere publice, ſub pœna præfatis D. officialibus ſcutorum decem auri applicanda

plicanda Magnificæ Cōmunitati Laudæ. In quam pœnam incuriſſe intelligantur quotienſcunque nō adimpleuerint contenta in præſenti ſtatuto, & amplius condemnentur, Aromatarii, habentes tales res non bonas, in libris quinque imperialium pro qualibet re reperta, non bona, Ita tamen quòd condemnatio non excedat libras quinquaginta imperialiū in totum, pro qualibet uice qua facta fuerit uiſitatio. § Et ſi dicti D. officiales fuerint diſcordes ſtetur iudicio alicuius ſpectabilis phyſici ciuitatis Laudæ per collegium D. phyſicorum eligendo quolibet anno.

DE PISCATORIBVS.

STatuimus, quòd quilibet piſcator ciuitatis, & Epiſcopatus Laudæ, uolens, uendere piſces, & piſcari, teneatur & debeat in menſe Ianuarii cuiuslibet anni, iurare in manibus notarii ſecundum formam iuramenti infraſcripti, ſub pœna cuilibet piſcatori iurare omittenti ſolidorum uiginti imperialium, & quilibet qui iurauerit ſcribatur per dictum notarium, cum eius nomine, & cognomine, prout iurauerit, Forma uerò iuramenti talis eſt uidelicet.

EGo. A. iuro ad ſancta DEI Euangelia tactis ſcripturis, quòd cum bona fide ſine fraude, piſcabo, & omnes piſces, & cancros cuiuslibet generis, quos capiam portabo, ſeu portari faciam, in platea maiori ciuitatis Laudæ, ad uendendum, & eos uendam ſecundum formam ſtatutorum Cōmunis Laudæ, ſuper hoc formatorum, & non uendā nec uendi faciam aliquos piſces, uel cancros putridos,

nec faciam aliquam conuentionem, cum aliquo piſcatore, uel cum alio, vt non poſſint piſcari, & piſces, & cancros uendere, modo & forma prædictis. Et ſi fuero conſul mei paratici, non cogam aliquem de meo paratico, quin poſſit piſcari, & piſces uendere, & ſi inuenero aliquē piſces, uel cancros uendere, contra formam dicti ſacramenti, & aliorum ſtatutorum ſuper hoc editorum, infra tertiam diem, ipſum denuntiabo præfatis D. officialibus, & ſi cōtra fecero ſoluam in quolibet caſu caſuum prædictorum, vltra aliàs pœnas in dictis ſtatutis appoſitas, ſolidos quadraginta imperialiū qualibet uice.

DE POENA PISCANTIS CONTRA uoluntatem domini.

STatuimus, quòd nullus audeat, nec præſumat, tā in clauſis Laudæ, quàm in Epiſcopatu, inuito domino, piſcari cum aliquibus retibus, nec aliter in piſcheriis alicuius perſonæ, ſub pœna cuilibet cōtrafacienti librarum decem imperialium pro qualibet uice.

DE PISCIBVS AD CIVITATEM Laudæ portandis per uias rectas.

STatuimus, quòd nullus piſcator audeat, uel præſumat, portare vel portari facere, piſces, uel cancros, per diſtrictum Laudæ, niſi per uiam rectam, ueniendo uerſus ciuitatem Laudæ pro uendendo ipſos piſces, & cancros, in platea maiori Laudæ, & qui contrafecerit condemnetur in pœnam contentam in ueteri ſtatuto folio. lxxxvii.

DE PISCIBVS PORTANDIS, ET vendendis in platea maiori Laudæ.

STtatuimus, quòd quilibet piſcator teneatur & debeat portare ſeu portari facere, omnes piſces, & cancros, quos piſcati fuerint, & habuerint, ad ciuitatem Laudæ, & eos uendere debeant ſolummodo in platea ciuitatis Laudæ, & non domi ſuæ, nec alibi, & cum fuerint in dicta platea non debeant eos portare, nec portari facere, extra dictam plateam, donec fuerint uenditi, ſub pœna ſolidorum uiginti imperialium pro quolibet, & qualibet uice & ēt amiſſionis piſcium & cancrorum.

DE POENA REVENDITORIS PISCIVM.

STatuimus, quòd nulla perſona audeat, uel præſumat emere in ciuitate Laudæ, clauſis, uel Epiſcopatu, aliquos piſces, vel cancros, pro reuendendo, & qui contrafecerit puniatur pro qualibet uice in ſolidis quadraginta imperialium, & in amiſſione piſcium, & cancrorum.

DE PISCIBVS NON TENENDIS in abſcondito.

STatuimus, quòd nullus piſcator audeat, nec præſumat, tenere in abſcondito, nec portare in abſcondito piſces, uel cancros, ſed teneatur eos portare, ſeu portari facere & tenere in platea in aperto, ſub poena ſolidorum quadraginta imperialium, & amiſſionis dictorum piſcium uel cancrorum.

DE PISCIBVS TENENDIS ſuper bancho.

STatuimus, quòd quilibet piſcator teneatur, & debeat tenere omnes piſces magnos, quos habuerit ad uendendum ſuper bancho, & intelligantur piſces magni, illi qui excedunt libras duas unciarum uiginti octo pro ſingula, ac etiam teneatur dictos piſces incidere, & cuilibet emere uolenti, dare illā quantitatem, quam emere uoluerit, ſub pœna ſolidorum uiginti imperialium cuilibet contrafacienti. §. Item teneatur tenere piſcarias & lampetras in uaſibus cum foraminibus, ſub pœna prædicta.

DE VENDITORIBVS RERVM Salſarum quadrageſimalium.

STatuimus, quòd uenditores rerum quadrageſimalium ſalſarum, non poſſint res ipſas uendere, niſi prius uiſæ, & aprobatæ fuerint per præfatos D. officiales, uel ſaltem per maiorem partem corū, ſub pœna librarum quinque imperialium pro quolibet, & qualibet uice, Ita tamen q̧ ubi officiales fuerint requiſiti, & non iuerint ad uidendum, aprobandum, & apretiandum infra unam diem, impunè uendi poſſint, Et uenditores ipſi teneantur res ipſas uendere iuxta limitationem pretii rebus ipſis fiendam, bis in anno per præfatos D. officiales, uel maiorem partem eorum, ſemel uidelicet intra tres dies, ante diem carnis priuii Romani, & alia uice in feſto ſancti Michaelis, ſub pœna ſolidorum uiginti imperialium pro qualibet libra, qua aliquis compertus fuerit rem aliquam uendere ex ſupradictis ultra limitationem pretii utſupra fiendam.

DE OLITORIBVS.

STatuimus, quòd nullus olitor, poſſit, nec debeat, aliqua olera irrigare, & teneatur ea olera uendere abſque earum ſcapis ſeu coſtonibus, ſub pœna contrafacienti in aliqua parte ſolidorum decem imperialium pro qualibet uice. Et teneatur olera ipſa uendere iuxta limitationem pretii eis fiendam per præfatos officiales, & non ultra ſub pœna ſolidorum decem utſupra pro qualibet vice.

DE PRISTINARIIS.

STatuimus, quòd quilibet priſtinariius teneatur ſe nel in anno, uidelicet in menſe Ianuarii, cuiuſlibet anni iurare in manibus notarii dictorum D. officialium iuxta formam ſacramenti infraſcripti uidelicet.

EGo, A iuro ad ſancta DEI Euangelia tactis ſcripturis q̧ cum bona fide, & ſine fraude, coquam panem ad uendendum, iuxta debitam penſam mihi dandam per dictos D. officiales, nec concordabo cum aliis priſtinariis, quin coquā, quantum panem uoluero, & quantum mihi præceptum fuerit. Nec celabo panem dictis D. officialibus quando penſare, & uidere illum uoluerint, & bene mondabo, uel mondari faciam, granum, benè, & legaliter coquā panem, & illum penſabo, & quotiescunque contra prædicta, uel aliquid prædictorum fecero, ſoluam qualibet uice ſolidos uiginti imperialium, & ultra ſoluam pœnas in his ſtatutis contentas.

DE MODO TENENDI PANEM VENALEM.

STatuimus,quòd quilibet priſtinarius,teneatur pa
nem, quem fecerit ad uendendum, tenere in ban
cho, uel diſco,extra domum, uel feneſtram ſuæ do
mus,ſiue apothecæ,u.l in mercato,ſine fraude. §.
Item permittant ipſi priſtinarii quotienſcunque eis
fuerit requiſitum per dictos D. officiales , uel ali-
quem eorum, ire in domo & apotheca ſua , ad ui-
dendum, & penſandum panem,& qui contra fe-
cerit puniatur qualibet uice in ſolidis quinquagin-
ta imperialium.

DE PANE BENE COQVENDO PER FVRNARIOS.

STatuimus , quòd quilibet furnarius coquens pa-
nem, familiis ciuitatis, & burgorum Laudæ,tenea
tur,& debeat coquere,& aſeſonare panem benè,&
ſufficienter , quibuslibet uolentibus , Et ſi contra
fecerit condemnetur pro qualibet cocta ſiue fur-
nata in ſolidis uiginti imperialium, & pro qualibet
ſingulari cocta cuiuslibet ſingularis perſonæ in ſo
lidis decem imperialium, & ad reſtitutionem panis
ſeu extimationis ipſius.

DE PANE AD SVFFICIENTIAM TENENDO.

STatuimus quòd quilibet priſtinarius faciens pa-
nem uenalem, teneatur, & debeat habere,& tene
re panem uenalem , ad ſufficientiam,qui ſit adiu-
ſtam penſam, prout ſibi limitatio data fuerit per di
ctos D.officiales ſingulis temporibus , & qualibet
die ſub pœna ſolidorum viginti imperialiũ pro quo
libet, & qualibet uice. §. Et prædicti D. officiales
teneantur

teneantur, & debeant ſemel in ebdomoda, inquire
re diligenter de prædictis , & quoſcunque , quos
culpabiles inuenerint, condemnare.

DE POENIS PISTRINARIORVM.

STatuimus quòd quilibet piſtrinarius, faciens pa-
nem uenalem, teneatur illum facere nitidum, al-
bum,& benè coctum & ad iuſtam penſam Cõmu
nis Laudæ , vtſup̃ continetur. Et ſi inuentus quis
fuerit,cõtrafeciſſe uel habere panẽ minũs pẽſa ſibi
data per dictos D.Officiales prout data uel mutata
fuerit , ſingulis temporibus à duodecim panibus
infra. perdat ipſum panẽ, & condemnetur in qua
druplum pretii, quo uendi debebat panis,qualibet
uice. §.Si uerò ultra dnodecim panes inuenti fue-
rint deficere in penſa, perdatur panis repertus de-
ficere, cum tota cocta,& ultra condemnetur, pri-
ſtinarius in quadruplum pretii , quo uendi debe-
bat panis repertus deficere minùs penſa. §.Si uerò
panis fuerit male coctus, uel non nitidus, & albus
vſque ad duodecim panes, perdatur ipſe panis , &
condemnetur ipſe priſtinarius in ſolidis decem im
perialium qualibet vice , & ſi ultra duodecim pa-
nes inuenti fuerint male cocti, uel non nitidi, & al-
bi, perdatur panis, cum tota cocta , & ultra con-
demnetur piſtrinarius in quadruplum pretii , quo
uendi debebat panis. §. Et ſi aliquis piſtrinarius
falſauerit panem ponendo reuezolum , uel cruſcã,
vel aliquod aliud turpe, perdatur talis panis,& vl-
tra condemnetur piſtrinarius in pœnam quadrupli
utſupra.§. Et quòd panis ſit turpis,non nitidus &
albus,male coctus,vel falſificatus,ſtetur iuditio di-

ctorum D.Officialium, uel maioris partis eorum.

DE PANE DE MISTVRA.

STatuimus quod ſi aliquis piſtrinarius, facere uoluerit panem uenalem, de miſtura, illum facere teneatur bonum, & ſufficientem, & teneatur ponere tantam farinam ſichalis, quantam debet, alioquin cõdemnetur qualibet uice in ſolidis quinque. §. Et ꝙ miſtura dicti panis, fuerit male ordinata, ſtetur iudicio dictorum D.Officialium, vel maioris partis eorum.

QVOD DOMINI DVODECIM Sapientes Cõmunis Laudæ ire poſſint, ad uidendum, & penſandum panem.

STatuimus, quòd ſit licitum dominis duodecim ſapientibus Cõmunis Laudæ, ſimul & ſeparatim quando uoluerint & prout uoluerint, Ire ad uidendum, & penſandum ſeu penſari faciendum, panem uenalem, qui fiet & uendetur, tam ſuper platea, quàm ad domos piſtrinariorum, & etiam ad portas ciuitatis & burgorum ubi uenditur dictus panis, & ſi repertus fuerit aliquis panis deficere in pẽſa, uel non eſſe benè coctus, uel non nitidus, & albus, uel aliter falſificatus, tali caſu præfati D.Officiales teneantur ad eandem pœnam ſupra debite referendo deſcriptam, ad quam tenebatur per formã præſentium ſtatutorum piſtrinarius, qui fecerit talem panem. §. Et nihilominus piſtrinarius ipſe condemnetur pro tali pane ſecundum pœnas debitè referendo ſupraſcriptas.

De

DE MOLINARIIS.

STatuimus, quòd quilibet molinarius, teneatur, & debeat in menſe Ianuarii cuiuslibet anni iurare iuxta formam iuramenti inferius deſcripti in manibus notarii præfatorum D.officialium, Cuius iuramenti forma talis eſt uidelicet.

EGo.A, iuro ad ſancta DEI Euangelia corporaliter tactis ſcripturis, quòd cum bona fide, ſine fraude, accipiam granum, ſiue bladum, à quacunque perſona ciuitatis, burgorum, clauſorũ, & Epiſcopatus Laudæ mihi dare uolenti, ad macinandũ ad penſam, ſiue menſuram, prout mihi dare uoluerit, & illius granum, ſiuè bladum, reſtituam in fariuam bonam, & ſufficientem, ſecundum qualitatem bladi, quod mihi dederit, & hoc ad penſam, ſi mihi dederit ad penſam, & ſi mihi dederit ad menſuram illud in farinam ſibi reſtituam, ſecundũ formam infraſcriptorum ſtatutorum, & macinabo benè, & abſque ulla fraude, granum, ſiue bladum, quod in me peruenerit, cauſa macinandi, nec furtum faciam, nec fieri permittam, nec uolenti facere conſentiam, nec fraudem aliquam comittam in prædictis, nec infraſcriptis. Et non tenebo molam in molendino, quæ non ſit bona, & ſufficiens, ad macinandum, & conſignabo farinam ad iuſtã penſam, & menſuram vtſupra illi, à quo bladum cauſa macinandi accepero infra quintam diem, & non mittam granum, uel farinam, nec deponam in domo mea, nec in domo alicuius, niſi ad domũ illius cuius fuerit, & non recipiam donum uel præmium

C

ab aliqua perſona cauſa conducendi, uel portandi granum, ſiuè bladum ad molendinum, cauſa macinandi, niſi illud quod mihi eſt conceſſum per formam ſtatutorum, & ſi contrafecero in aliquo caſu caſuum prædictorum, ſoluam pro qualibet uice pœnas in ſtatutis limitatas, & vltra ſolidos triginta imperialium & non ponam rem turpem, terram, uel aliquod aliud turpe, in grano, uel farina, nec ponere faciam, nec ponere uolenti conſentiam & ſi contrafecero ſoluam libras decem imperialium qualibet uice, & non conducam bladum ad molendinum, niſi priùs præſtito hoc ſacramento, & non accipiam pro macina, niſi unam libram groſſam, uidelicet unciarum uiginti octo pro quolibet ſtario. §. Et illa legumina, quæ in me peruenerint bona fide, & ſine fraude frangam, cuſtodiam, & reſtituam, proutſupra, & non ducam, nec duci permittam per me, nec per alium, granum, uel bladum mihi datum, ad macinandum ad aliquod molendinum quod ſit extra iuriſditionem Laudæ, & ſi contrafecero ſoluam libras decem imperialiũ pro qualibet uice & ſi mihi auferri contingerit granum, ſiue bladum, mihi datum ad macinandum, eo quia illud conducerem ſeu conduci facerem ad macinandum extra iuriſditionem Laudæ, illud bladum, ſiuè granum, vel illius æſtimationem, cum æſtimatione, & ualore ſaccorum, in quibus poſitum fuerit, reſtituam infra tertiam diem, illi, à quo uel à quibus, dictum bladum ſiuè granum recepero, ſub pœna dupli, & ſi ſciuero aliquem facere contra prædicta infra quintam diem denuntiabo, uel accuſabo dictis D. Officialibus, Et ſi

contra

contrafecero, ſoluam pro qualibet uice ſolidos uiginti imperialium, & non miſcebo farinam, uel legumina unius cum farina, uel leguminibus alterius & ad plenum obſeruabo ſtatuta edita, & formata ſuper prædictis. §. Et quotienſcunque prædicti D. officiales Laudæ uoluerint intrare molendinũ, ſeu molendina mea, eos intrare permittam, & querere farinam, & ſuum officium exercere, prout eis placuerit, & ſi contra fecero, ſoluam libras quinque imperialium pro qualibet uice.

DE ACCVSIS CONTRA molinarios dandis.

STatuimus, quòd ſi quis uoluerit conqueri de aliquo molinario, de farina male macinata, uel ultra debitum modum retenta, vel leguminibus malè frangis, uel aliquibus aliis fraudibus cõmiſſis contra eius ſacramenta, & præſentia ſtatuta, ipſam querelam & denuntiam, uel accuſam faciat coram dictis D. officialibus, & hoc tam reſpectu accuſationum dandarum contra molinarios ciuitatis & clauſorum Laudæ quàm reſpectu accuſationum dandarum contra molinarios Epiſcopatus Laudæ. §. Et accuſæ prædictæ dentur in termino limitato, in ſtatuto, ſub rubrica de termino denuntiandi, & accuſandi. §. Et quòd dicti D. officiales ad inſtantiã cuiuslibet denuntiantis, uel accuſantis, contra accuſatos, uel denuntiatos procedere teneantur, & eos condemnare, & punire infra octo dies, poſtquam eis denuntiatum, vel data fuerit accuſa, & pœnas exigere, & reſtitui facere, ſecundum formam

præſentium ſtatutorum infra quintam diem, à die factæ dictæ condemnationis .§. Et non audiatur molinarius accuſatus, nec admittatur ad aliquam deffenſam, niſi idoneè ſatiſdederit de damno,& farinis,& pœna, & expenſis ſoluendis,Quæ deffenſio tantum admittatur cum ſatiſdatione prædicta, ante publicationem condemnationum prædictarum, & non poſt.

DE BLADO NON MACINANDO ſuper mola ſuper qua macinatur galla uel linoſa.

STatuimus,quòd nullus molinarius, debeat macinare granum, uel bladum, ſuper mola, ſuper qua macinatur galla, uel linoſa, ſub pœna librarum quinque imperialium pro quolibet, & qualibet uice. §. Item non poſſit, nec debeat macinare furmentum, Sicalem, & milium per ſe, uel in miſtura immediate poſt macinaturam milicæ, ſpeltæ, auenæ, uel hordei, ſed teneatur poſt macinaturam talium rerum,uel alicuius ex eis, macinare de Blado proprio, ut furmentum,ſicalem, uel milium ſibi datum ad macinandum, magis nitide poſſit macinare .§. Et ſi per aliquem molinarium contra factum fuerit, condemnetur in ſolidis triginta imperialium pro qualibet uice.

DE FARINA REDDENDA.

STatuimus, quòd quilibet molinarius, teneatur, & debeat infra quintam diem, reddere granum, uel Bladum, macinatum in farina illis,qui eis dederit ad penſam in domo dantis,ſi ſibi datum fuerit ad penſam,& ſi ei datum fuerit ad menſuram

reddere

reddere illud teneatur ad menſuram ſiuè ad ratam menſura uidelicet ſtarium culmum in farinam puram pro ſtario raſo in grano, ſi fuerit furmentũ, uel ſicalis, per ſe, uel miſtura, & ſi milium, per ſe, uel cum alia miſtura fuerit, ſtariã ſeptem ad ſtar ũ culmum in farina, pro ſtariis octo grani raſis, & ſic ad computum cuiuslibet ſtarii ad ratam .§. Et ſi quis contrafecerit condemnetur in ſolidis triginta imperialium, & ultra ad reſtitutionem farinæ ad iuſtam penſam, uel menſuram utſupra, illi cui reſtitutio ueniet fienda.§. Et præfati D. officiales teneantur prædicta executioni mandare infra terminũ in ſupraſcripto alio ſtatuto contentum.

DE MOLINARIIS NON ſuppoſitis iuriſdictioni D. prætoris Laudæ.

STatuimus, quòd aliquis molinarius, qui non ſit ſuppoſitus iuriſditioni Communis Laudæ, non audeat, nec præſumat uenire in iuriſditione Laudæ,cum beſtiis, plauſtris, uel aliter pro accipiendo aliquod bladum, ſub ſpecie macinandi ad aliquod molendinum, quod ſit extra iuriſditionem Laudæ & ſi contrafecerit perdat bladum, & beſtias, & ultra condemnetur in libris triginta imperialium pro qualibet uice. § Item nulla perſona cuiuſcunque conditionis exiſtat, iuriſditioni Cõmunis Laudæ ſuppoſita, audeat uel præſumat dare bladum ſiuè granum aliquod, ad macinandum alicui molinario qui macinet ad molendina exiſtentia extra iuriſditionem Cõmunis Laudæ.§.pariterque non audeat nec præſumat portare, nec conducere, nec portari,

nec conduci facere, aliquod bladum,ſiue granum ad macinandum ad dicta molendina extra iurisditionem Cõmunis Laudæ exiſtentia, ſub pœna amisſionis beſtiarum, & bladi, ac etiam librarum decem imperialium pro quolibet,& qualibet uice.

DE POENIS MOLINARIORVM.

STatuimus, quòd quilibet molinarius ciuitatis, burgorum, clauſorum, & Epiſcopatus Laudæ, teneatur accipere ab omnibus, & ſingulis ciuitatis burgorum, clauſorum,& Epiſcopatus Laudæ, uolentibus ſibi dare bladum ad macinandum ad penſam, ſiue ad menſuram, prout dare uolenti placuerit, ſub pœna ſolidorum triginta imperialiũ pro quolibet,& qualibet uice. §.Et poſtquã illud Bladum acceperit pro macinando, non deponat illud in aliquo loco, ſed teneatur dictum bladum conducere, ad macinandum, & macinatum teneatur in farinam reportare, ſeu reconduci facere, intra quintam diem,& pro macina in ſe retinere non poſſit, niſi libram unam untiarũ uiginti octo, pro quolibet ſtario,& non plùs,& ipſam farinam quibuslibet, à quibus bladum acceperit, pro modo prædicto conſignare,& reſtituere teneatur, infra terminum ſupra dictũ, Et ſi contra fecerit puniatur quilibet omittens prædicta per ordinem obſeruare qualibet uice, in ſolidis triginta imperialium, & ultra cogatur reſtituere illud plus, q̃ repertum fuerit fuiſſe retentum de farina. §. Et credatur domino, uel dominæ, cum ſacramento de retentione farinæ prædictæ,ac quantitatis,& qualitatis.

De

DE SATISDATIONIBVS præſtandis per molinarios.

STatuimus quòd quilibet molinarius ciuitatis,burgorum clauſorum, & Epiſcopatus Laudæ, qui nunc eſt, & in futurum eſſe uoluerit, teneatur ſemel inanno, quando ſuum præſtiterit iuramentum utſupra continetur, idoneè ſatisdare cum bonis fideiuſſoribus pro ſumma librarum quinquaginta imperialiũ coram ſupradictis D. officialibus uel eorum notario de ſeruando,& ſeruari faciendo tam per ſe, quàm pro eorum famulis, filiis,uel coadiutoribus, iuxta ſacramenti formam per eos præſtiti, & præſtandi, & de ſeruando benè, & legaliter ſtatuta, ſuper hoc edita, prout in præſentibus ſtatutis continetur, & de ſoluendo quaſcunque pœnas, quas eorum incurrere contingerit, & de ſtando, & parendo iuri,& de iudicato ſoluendo,& parendo mandatis dictorum D. officialium,quotieſcũque fuerint requiſiti,pro prædictis, uel aliquo prædictorum uel dependentibus, uel conexis, & hoc ſub pœna librarum uigintiquinque imperialiũ cuilibet molinario omittenti prædictam ſatisdationem præſtare utſupra.

DE BLADO LEGVMINIBVS, & farina cum ſachis a fondatis reſtituendis.

STatuimus,quòd ſi aliquis molinarius, conduxerit, uel conduci fecerit, bladum aliquod, farinam, uel legumina, à rippa abduæ, ad molendinum, & à molendino ad ipſam ripam, & nauis aliquo caſu à fondauerit in aqua prædicta, teneatur talis molinarius reſtituere dictum bladum, farinam, uel le-

gumina, cum ſachis, ſiue eorum extimationem, illis quorum erant.§. Et credatur domino cuius erit dictum bladum cum ſacramento de quantitate & qualitate bladi, leguminū, & extimatione ſachorū.

DE POENA MOLINARII ſuper farina æquitantis.

STatuimus, quòd nullus molinarius, audeat, uel præſumat, æquitare, ſeu ſedere, ſuper beſtiis aliquibus, ſuper quibus oneratæ ſint farinæ ſub poena ſolidorum decem pro quolibet, & qualibet uice.

QVOD MOLINARII VTANtur beſtiis bullatis.

STatuimus, quòd nullus molinarius, audeat, uel præſumat ducere, uel conduci facere, bladū aliquod, ſiue granum ad macinandum, ad eius molendinum, cum aliqua beſtia, quæ non ſit bullata, ſiuè ſignata à ſigno, & bullo, ad hoc ordinato, nec de aliquo loco granum, ſiue bladum, accipere, uel conducere, cauſa macinandi, niſi de illis locis, quæ ſcribi fecerit in librius cōmunis, per notarium dictorum D. officialium, quæ loca deſcribi facere teneatur infra octo dies, à die præſtiti ſacramenti, & ſatisdationis datæ ſecundum ordinem ſupraſcriptū continue numerandos, Et ſi quis contrafecerit puniatur in ſolidis uiginti imperialium qualibet uice.

DE TABERNARIIS.

STatuimus, quòd quilibet tabernarius, ciuitatis, burgorum, & Epiſcopatus Laudæ, uolens uendere uinum ad minutum, teneatur, & debeat facere

cere

cere ſacramentum infraſcripti tenoris ſemel in anno uidelicet, in principio menſis Ianuarii cuiuslibet anni, & hoc in manibus notarii D. officialium, ſub poena cuilibet tabernario ſacramentum omittenti ſolidorum quinquaginta imperialium, & ſcribantur illi, qui iurauerint cum eorum nominibus & cognominibus prout iurauerint, per notarium ſupra dictum, Forma uerò iuramenti, talis eſt uidelicet.

EGo. A. iuro ad ſancta DEI Euangelia corporaliter tactis ſcripturis ꝙ cuilibet emere uolenti uinū ad minutum, uendam, & menſurabo benè, & legaliter, ſecundum menſuram Cōmunis Laudæ, & nullam fradem faciam in menſurando per me, uel ſubmiſſam perſonam. Et ꝙ non tenebo menſurā, niſi illam, quæ mihi ordinata fuerit per Cōmune Laudæ, & bullata à bullo dicti cōmunis, & cum illa menſurabo, & menſurari faciam, & non aliter, Et ſi contrafecero, ſoluam pro qualibet uice ſolidos uiginti imperialium, & non miſcebo aquam cum uino, ſed tenebo uinum purū, & nitidum ſecundum quòd mihi fuerit bullatum, & ſi habuero plura uaſa bullata, ad uendendum, dabo cuilibet emere uolenti, de illo uaſe, quod uoluerit, & ſi contrafecero in aliquo prædictorum, ſoluam pro qualibet uice ſolidos uiginti imperialium.

DE MENSVRIS TENENDIS PER TABERNARIOS.

STatuimus, quòd quilibet tabernarius qui uendere uoluerit uinum ad minutum, teneatur, & debeat habere, cauſa menſurandi, & pro menſuran-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ І. І. МЕЧНИКОВА

do uinum, buzzolas de pilſtro iuxta formam dandam per dictos D.officiales ad iuſtam menſuram Cõmunis Laudæ, & cum ipſis uinum uendere ad debitam menſuram, & non aliter, & qui repertus fuerit habere buzzolas, minus menſura, uel uinum aliter uendere, & menſurare, quàm cum dictis buzzolis, condemnetur in utroque caſu caſuũ prædictorũ in ſolidis uiginti imperialium pro qualibet uice.

QVOD NVLLVS FACIAT ſignum alicui tabernario.

STatuimus, quòd nulla perſona, cuiuſcunque cõditionis, uel ſtatus exiſtat, audeat, uel præſumat dare uel facere, ſignum, nec oretenus dicere, nec aliquem nuntium mittere ſeu guardiam facere, nec inditium aliquod dare, alicui Tabernario, nec alicui filio, famulo, uel coadiutori, uel alicui alii de familia tabernarii, quando dicti D. officiales, uel aliqui, ſeu aliquis ex eis, uadunt ad circandum tabernas, & tabernarios pro uino malè menſurato, uel aliter, pro ſuo officio exercendo, ſub pœna ſolidorum triginta imperialiũ cuilibet contrafacienti, qualibet uice. §. Et q̃ tabernarius, & tabernaria, & alia perſona, tam uendens, quàm accipiens uinũ, quod uenditur ad minutum, quibus repertum fuerit, teneatur illud tenere poſtquam fuerit ſibi datum per dictor D.officiales, ſiue per aliquem coruni, & nõ debeat talis ſic repertus menſurare, ſeu menſuraſſe vtſupra, & ille qui repertur fuerit uinum accepiſſe, ad dictam menſuram, illud in aliqua parte portare, nec tabernario reſtituere, nec bibere, nec effundere,

nec

nec uinum agiungere nec adiungi facere donec dicti D.officiales uel aliquis eorum uiderit, ſi dictum vinum fuerit benè menſuratum & iuſtè ad menſuram dicti cõmunis ſub pœna cuilibet contrafacienti qualibet uice ſolidorum triginta imperialium.

DE HOSTIO TABERNAE dictis D.officialibus aperiendo.

STatuimus, quòd quælibet perſona, uendens uinum ad minutum, teneatur aperire hoſtium ſuæ tabernæ incontinenti, poſtquam uocatus fuerit per aliquẽ ſeu aliquos ex dictis D. officialibus & ſi cõtrafecerit puniatur in libris tribus imperialium pro qualibet uice.

DE SIGNO TENENDO per tabernarios.

STatuimus quod quilibet tabernarius uendens uinum ad minutum, tam in ciuitate, & ſuburbiis, quàm epiſcopatu Laudæ, teneatur, & debeat habere, & tenere, ſignum ſuper domibus tabernæ ſuæ in qua uinum uendit, & hoc ut cognoſcatur quòd uinum ibi uenditur, & qui contrafecerit condemnetur in ſolidis triginta Imperialiũ ꝑ qualibet uice.

DE TABERNIS CLAVDENdis poſt Sonum Campanæ.

STatuimus, quòd quilibet tabernarius, Ciuitatis, & Burgorum Laudæ, teneatur, & debeat tenere, clauſas ſuas tabernas, ſiue domos, in quibus uendit uinum poſt tertium ſonum Campanæ, quæ pulſatur in ſero, & poſt ipſum ſonum, non audeat nec

præſumat uendere, nec uendi facere uinum alicui, nec etiam aliquem in ipſa taberna tenere, & ſi quis repertus fuerit contrafacere in aliquo caſu caſuum prædictorum condemnetur in ſolidis decem imperialium pro qualibet uice.

DE AQVA NON TENENDA per tabernarios ubi tenent uinum.

STatuimus, quòd nullus tabernarius audeat uel præſumat tenere, nec teneri facere aquam in aliquo uaſe, in canepa, in qua tenet uinũ, quod uendit ad minutum, & ſi quis contrafecerit puniatur in ſolidis uiginti imperialium pro qualibet uice.

DE STRATIS PVBLICIS per Tabernarios non impediendis.

STatuimus, quòd nullus Tabernarius ciuitatis, & burgorum Laudæ, uendens uinum ad minutum, audeat uel pſumat ponere, nec poni facere, nec tenere, aliquod diſcum, uel banchum, in uia publica, vel in platea, uel aliquid aliud, quòd impediat, uel per quod impediri poſſit uia publica, uel platea, & ſi quis contra fecerit puniatur in ſolidis uiginti imperialium pro qualibet uice.

DE PRETIO VINI LIMITANDO.

STatuimus, quòd dicti D. officiales, debeant bis in anno limitare pretium uini, quod uenditur ad minutum, ſemel uidelicet in menſe Octobris, & altera uice in principio menſis Maii. Nihilominus poſſint etiam illud limitare toties quoties eis uidebitur expedire. §. Et tabernarii teneantur uinum

ipſum

ipſum uendere iuxta limitationem pretii ut ſupra fiendam ſub pœna ſolidorum uiginti quinque imperialium pro qualibet uice qua quis repertus fuerit uinum uendere ultra limitationem prætii ut ſupra fiendam.

DE BRENTIFERIS.

STatuimus, quòd omnes Brentiferi teneantur & debeant ſemel in anno, uidelicet in menſe Ianuarii cuiuslibet anni, facere ſacramentum tenoris infraſcripti, in manibus notarii præfatorum D. Officialium ſub pœna cuilibet iurare omittẽti librarum quinque imperialium. §. Et dictus Notarius teneatur ſcribere omnes qui iurauerint, cum eorum nominibus & cognominibus prout iurauerint. Forma uerò Sacramenti talis eſt uidelicet.

EGo. A. iuro ad ſancta Dei Euangelia corporaliter tactis ſcripturis ꝙ iuſtè, & bona fide, menſurabo uinum ad menſuram cõmunis Laudæ & ꝙ utriq; parti uenditori uidelicet & Emptori, dabo ſuam rationem, nec furtum faciam de eo uino nec fieri conſentiam aliquo modo, & ſi ſciuero aliquod furtũ, uel fraudem feciſſe de eo uino, dictis D. Officialibus uel ad eorum officium infra unam diem manifeſtabo, & non accipiam pro menſuratione Carri unius uini, niſi ſolidos quinque pro utraque parte, & non menſurabo uinum cum aliquo, qui non fecerit hoc ſacramentum, & illas menſuras uini, quas conſignare debuero bona fide, ſine fraude, conſignabo, & ſi ſciuero & electus fuero in an-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені МЕЧНИКОВА

tea, ad inueniendum illos qui fraude menſuram falſificauerint, bona fide, ſine fraude, inſtabo, ut inueniam, & inuentos præfatis D. Officialibus manifeſtabo & hoc ſub pœna ſolidorum quadraginta imperialium qualibet uice, qua contrafecero.

DE ALIQVO VASE A VINO non portando per Brentiſeros præter Brentas.

STatuimus, quòd Brentiferi, non posſint, præter brentas, ſecum ferre aliqua alia uaſa à uino, nec aliquam quantitatem uini accipere, tam à uenditoribus, quàm ab emptoribus, etiam ſponte dantibus, ſed debeant eſſe contenti ſua mercede, & ſi quis contrafecerit condemnetur pro qualibet uice in ſolidis uiginti imperialium,

DE BACVLO PER Brentiferos portando.

STatuimus, quòd Brentiferi teneantur, & debeant tempore quo portant brentas, cum aliqua, quantitate uini ſecum ferre Baculum ferratum, alioquin toties quoties ipſum uinum ſeu aliquam partem ipſius effunderint, teneantur ad ſolutionem uini, abſque aliqua excuſatione, uel exceptione in contrarium uidelicet, q̄ non proceſſerit culpa ſua, ſed caſu fortuito, uel aliter.

QVOD BRENTIFERI TENEANTVR currere ad ignem, tempore incendii.

STatuimus, quòd omnes brentiferi, tempore alicuius incendii, teneantur, & debeant currere cum eorum brentis, ad ſeruiendum, & ignem extinguendum, & illinc non debeant recedere, donec à domino domus ſeu rei incenſæ, licentiati fuerint, ſub pœna cuilibet contrafacienti ſolidorum triginta imperialium pro qualibet uice, Quibus brentiferis ſatisfiat per eum, qui habitat in domo, ubi ſit incendium, ſecundum quod per dictos D. officiales taxabitur, ad quam ſolutionem compellatur de facto per dictos D. officiales.

DE MENSVRATORIBVS BLADORVM.

STatuimus, quòd omnes menſuratores bladorum & ſtorarii teneantur, & debeant in menſe Ianuarii cuiuslibet anni facere ſacramentū in manibus notarii dictorum D. Officialium tenoris infraſcripti uidelicet,

EGo. A. iuro ad ſancta DEI Euangelia corporaliter tactis ſcripturis, quòd cum bona fide, ſine fraude, menſurabo totum illud bladum, & legumina, ad iuſtam menſuram prout menſurare debuero, nec furtum, nec fraudem faciam, nec alteri permittam, me ſciente, & ſi ſciuero aliquem contra hoc facere, bona fide ſine fraude, dictis D. officialibus, uel eorum officio infra unam diem manifeſtabo, & ſi interrogatus fuero, quantum men-

ſurauerim, ueritatem dicam,& ſi contra fecero,ſoluam ſolidos uiginti imperialium pro qualibet uice.

DE SATISDATIONE PER menſuratores bladorum præſtanda.

STatuimus,quòd omnes menſuratores bladorum, ſeu ſtorarii, teneantur, & debeant, in menſe Ianuarii cuiuslibet anni,fideiubere in manibus notarii præfatorum D.officialium pro ſumma librarum centum imperialium, de reſtituendo pretium, ſeu blada, uel legumina,eiſdem danda ad uendendum per quemlibet,& ꝙ non poſsint aliquam quantitatem bladorum, uel leguminum accipere pro uendendo, ante præſtitam ipſam fideiusſionem ſub pœna librarum quinque imperialium pro qualibet uice.§. Et amplius non poſsint emere aliqua blada vel legumina, pro uendendo ſub pœna librarum decem imperialium pro quolibet modio.

DE REVENDITORIBVS lignorum à foco.

STatuimus, quòd præfati D. officiales, ſeu maior pars eorum, teneantur in menſe Septembris, cuiuslibet anni limitare pretium lignorum à foco, & iuxta dictam limitationem fiendam, teneantur dicti reuenditores dicta ligna uendere, ſub pœna ſolidorum quinquaginta imperialium, pro quolibet, & qualibet uice,qua quis repertus fuerit, ultra dictam limitationem pretii prædicta uendere.

DE

DE VENDITORIBVS lapidum coctorum.

STatuimus, quòd præfati D.officiales, in principio menſis Aprilis, cuiuslibet anni, teneantur facere limitationem pretii cuppis,lateribus, & aliis lapidibus coctis,cuiuſcunque ſpeciei, & iuxta dictã limitationem pretii utſupra fiendam,teneantur uenditores, dictis lapides uendere, & non ultra, ſub pœna librarum quinque imperialium, pro quolibet,& qualibet uice.

DE VENDITORIBVS CALCIS.

STatuimus,quòd omnes uenditores, & reuenditores calcis, tam in ciuitate Laudæ, burgorum, & clauſorum, quam in Epiſcopatu, teneantur & debeant ipſam calcem ponderare, & per iuſtam,penſam uendere cuilibet uolenti emere, ita tamen ꝙ ſi deficiat tantum libra una in pondere pro quolibet modio, nulla habeatur ratio, ab inde uerò ſupra, pœna ſit ſolidorum uiginti imperialium pro qualibet libra deficiente, & teneantur dare libras ducentum quinquaginta calcis pro modio unciarum uiginti octo,pro qualibet libra,ſub pœna prædicta,pro qualibet libra deficiente, & amplius ſub pœna amisſionis calcis uenditæ, & eam calcem teneantur uendere, benè coctam, & mercantilem,& intelligatur ipſa calx benè cocta, & mercantilis totiens, quotiens, collata reperietur deficere niſi uſque ad ſummam librarum ſeptem untiarum uiginti octo pro quolibet centenario librarum & ab inde ſupra ſi reperietur deficere quilibet uenditor ipſius calcis ad ratam, teneatur reficere emptori,illud dam

num, quod repertum fuerit eſſe in pretio conuento, & hoc abſque aliqua exceptione, data tamen notitia dicto uenditori de ipſo damno, termino quatuor dierum, poſtquam ipſa calx fuerit uendita & conſignata dicto emptori, aliter elapſo dicto termino, dictus uenditor in aliquo non teneatur uerſus ipſum emptorem cauſa prædicta.

DE VIIS IN CIVITATE, ET Burgis Laudæ non fodiendis.

STatuimus, quòd nulla perſona, cuiuſcunque conditionis exiſtat, audeat uel præſumat fodere nec fodi facere aliquam ſtratam publicam in ciuitate nec burgis Laudæ cauſa accipiendi terram, nec aliqua alia de cauſa, ſub pœna cuilibet contrafacienti librarum uiginti quinque imperialium pro qualibet uice.

DE STRATIS NON IMPEDIENDIS.

STatuimus, quòd nulla perſona ciuitatis Laudæ, cuiuſcunque conditionis exiſtat, audeat uel præſumat impedire ſtratas publicas ciuitatis, nec in eis aliquid ponere uel tenere, quòd impediat ipſas ſtratas, quominus per eas poſſit libere quilibet ire æqueſter, & pedeſter, cum beſtiis, & plauſtris oneratis, uel non oneratis, Et qui contra fecerit, condemnetur in ſolidis triginta imperialium pro qualibet uice, & quilibet teneatur infra terminum per dictos D, officiales ſtatuendum tales ſtratas curare & impedimentum a mouere, ſeu remoueri factæ, ſub pœna librarum trium imperialiũ cuilibet contrafacienti qualibet uice.

DE RVDERE VEL ALIIS IMmunditiis non tenendis in platea maiori Laudæ, nec alibi in ciuitate Laudæ.

STatuimus, quòd nullus audeat uel præſumat ponere, uel poni facere, nec tenere in platea maiori Laudæ, nec in ſtratis publicis, aliquod rudum, terratium, nec aliquas immunditias, ultra tres dies, & ipſis tribus diebus elapſis ſi non exportauerit ſeu exportari fecerit ipſa rudeza, & alia, condemnetur, quilibet in ſolidis decem imperialium, qualibet uice, & dicti D. officiales, teneantur uinculo ſacramenti elapſis dictis tribus diebus, contrafacientes punire, & condemnare. §. Poſſint tamen aliqua iuſta cauſa ſubſiſtente, maiorem terminum, ad prædicta exportandum ſtatuere, prout conſiderata qualitate rei, & cauſæ eis uidebitur.

DE PORTICIBVS CIVITATIS non impediendis.

STatuimus, quòd nulla perſona, audeat uel præſumat impedire aliquem Porticum, ſed teneatur & debeat ipſos porticus tenere liberos, & expeditos, & nihil in eis, uel ſub eis ponere uel tenere, niſi banchum unum latum uno brachio, cauſa ſedendi ſuper dicto bancho, quod ſit poſitum iuxta murum, ita q; non impediat uolentes ire, & redire per dictum porticum, & qui contra fecerit condemnetur pro qualibet vice, in ſolidis uiginti imperialiũ, & hoc ſtatutum non uendicet ſibi locum in uendentibus bladum, & alia uictualia, tempore pluuiali uel niuoſo, nec in aurificibus.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ

DE STRATIS PVBLICIS APTANDIS.

STatuimus, quod quælibet perſona, cuiuſcunque conditionis exiſtat, teneatur,& debeat aptare & aptatas tenere ſtratas publicas ciuitatis Laudæ iuxta domos ſuas, & ſi rupta fuerit in tantum in quantum ſe extendit tectum domus, teneatur illam aptare, ſeu aptari facere de lateribus coctis,ſi uerò rupta fuerit extra tectum teneatur illam aptare de lapidibus uiuis, & hoc infra terminum ſibi ſtatuendũ à præfatis D.officialibus, & ſi quis contrafecerit, ſeu mandato dictorum D.officialiũ non paruerit, condemnetur in ſolidis uiginti imperialiũ pro qualibet uice.§.Et ſtrata intelligatur etiam rupta, ſi adſit in ea aliqua fouea, ſeu aliqua concauitas, Quæ reaptari debeat utſupra.

DE STERQVILINIIS, ET CLOACIS non euacuandis de die.

STatuimus, quod nulla perſona cuiuſcunque cõditionis exiſtat, audeat uel præſumat aliquo modo euacuare, nec euacuari facere, aliqua ſterquilinia ſeu aliquam cloacam, de die, & hoc ſub pœna librarum quinque imperialium cuilibet contrafacienti, Qualibet uice. §. Et ulterius nemo audeat nec præſumat de nocte tempore quo euacuabuntur talia ſterquilinia, ſeu tales cloacæ, laborantes circa id moleſtare, nec inquietare, ſub pœna librarum decem imperialiũ cuilibet contrafacienti qualibet uice.

DE AQVA IMMVNDA, VEL ALIA RE turpi non proicienda in ſtratis.

Statui-

STatuimus,quòd nulla perſona cuiuſcunque conditionis exiſtat audeat, uel præſumat proicere, ſeu proici facere de ſolariis ſuis,uel feneſtris domorum ſuarum, aliquam ſpaciaturam,aquam immundam, uel aliquid aliud turpe, in platea maiori, nec in ſtratis publicis ciuitatis Laudæ, & qui contrafecerit condemnetur qualibet uice in ſolidis triginta imperialium,Ad cuius pœnæ ſolutionem teneatur dominus ſiuè habitator illius domus de qua talia immunda fuerint proiecta. §. Et ſi plures fuerint familiæ, teneantur omnes ad pœnam prædictam, niſi oſtendant perſonam quæ tale quid proiecerit, quo caſu perſona illa tantum teneatur ad prædictam pœnam.

DE CLAVICIS COOPERIENDIS.

STatuimus,quòd omnes clauicæ, quæ ſunt extra muros domorum,& ſeduminum Ciuitatis Laudæ decurrentes in ſtratis publicis, debeant cooperiri & coopertæ teneri, uidelicet clauicæ per uicinos,& eius uiciniam.§.Et Riales per illos,quorum ſunt, uel qui eis utuntur, & ſi quis contrafecerit,ſi fuerit uicinia pro qualibet clauica non cooperta, puniatur in ſolidis uiginti imperialium, & ſi fuerit ſingularis perſona pro quolibet Riali in ſolidis decem imperialium pro qualibet uice. §. Et ꝙ quilibet habens Rialẽ decurrentem in aliqua ſtrata publica, teneatur illum obturare, & penitus tollere infra terminum ſibi ſtatuendum per dictos D. officiales,& interim teneatur illum coopertum tenere ſub pœna prædicta.

DE PLAVSTRIS DVCENDIS PER CAREDEZIAS.

STatuimus, quòd nullus Bubulcus, uel aliqua alia perſona, audeat uel præſumat ducere plauſtrũ uel currum, per ciuitatem Laudæ niſi per caredezias, & hoc niſi ſtratæ eſſent impeditæ, taliter quòd non poſſet cum plauſtro & curru ire per caredezias, uel niſi cauſa dandi locum alteri Bubulco, uel currui. §. Et quòd nullus Bubulcus, audeat, uel præſumat ſtare ſuper plauſtro, per ciuitatem Laudæ, nec per pontes ciuitatis Laudæ, & qui contrafecerit in aliquo caſu, caſuum prædictorum, condemnetur in ſolidis decem imperialium pro qualibet uice.

QVO'D SVES NON VAdant per ciuitatem Laudæ.

STatuimus, quòd aliqua perſona cuiuſcunq; conditionis exiſtat, non permittat, nec permittere debeat, aliquem Suem, ire per ciuitatem Laudæ ſub pœna Domino Suis contrafacienti ſolidorũ uiginti imperialium pro qualibet uice. §. & in præſenti ſtatuto comprehendantur Sues, tam cum Anulo quàm ſine.

DE COLVMBIS NON capiendis, nec occidendis.

STatuimus quòd aliqua perſona cuiuſcunq; conditionis exiſtat, non audeat, nec præſumat aliquos columbos capere, cum retibus, uel aliter, quomodocunque, nec minus eos occidere, ſub pœna librarum uiginti quinque imperialium cuilibet contrafacienti, qualibet uice, & in pœnam præſentis ſtatuti incurriſſe intelligatur omnis penes quem repertus fuerit aliquis columbus captus uiuus, uel mortuus, etiam quòd non fuerit repertus, eum capere, uel occidere, & hoc ubi non aſsignauerit delinquentem.

DE OPERARIIS.

STatuimus, quòd quilibet laborans, ad mercedem, tam in clauſis, quàm in epiſcopatu Laudæ, ſit, & eſſe debeat contentus, de ſua mercede, & non poſſit portare aliqua ligna, nec fructus, nec aliquis poſſit ei eis dare ſub pœna ſolidorum quinque imperialium cuilibet contrafacienti, qualibet uice.

QVO'D NON LABORETVR DIEBVS FESTIS.

STatuimus, quòd nulla perſona, debeat laborare diebus feſtis. §. Et quòd ſeruari debeat diſpoſitio ſtatuti ueteris in fol. xciii. Saluo quòd dum imponit pœnam contrafacienti ſolidorum quinque imperialium, Volumus quòd quilibet contrafaciens, incurrat pœnam ſolidorum decem imperialium qualibet uice, & dum imponit pœnam ſolidorum uiginti tertiolorum Volumus quòd incurrat pœnam ſolidorum uiginti imperialium.

DE CONFECTORIBVS CORIORVM ET PELLIZZARIIS.

STatuimus, quòd nullus confector coriorũ, nec pellizzarius audeat, nec præſumat coria, uel pelles extendere in ſtratis publicis, nec in plateis ciuitatis

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ МЕЧНИКОВА

Laudæ, ſub pœna ſolidorum quinquaginta imperialium cuilibet contrafaciēti,qualibet uice.§. Proicientes uerò aquam de molticiis,uel aliam putredinem in ſtratis publicis, uel plateis ciuitatis Laudæ incurrant pœnam ſolidorum triginta imperialium.

DE POENA EXCORIANTIS aliquas quadrupedes in ciuitate, & burgis Laudæ.

STatuimus, quòd nulla perſona debeat Excoriare Equum, uel Equam, Mulum,uel Mulam,aſinum,uel aſinam,uel canem, in ciuitate, uel burgis Laudæ ſub pœna ſolidorum quinquaginta imperialium qualibet uice.

DIVISIO CLAVSORVM.

ITEM quia hactenus facta non fuit aliqua diuiſio clauſorum præfatæ ciuitatis Laudæ. Iccirco ut facilius Camparii poſſint omnia in eis exiſtentia cuſtodire, per præſentes ordines corū clauſorum,facti fuerunt Nouem quarterii,ſeu Nouem partes. Quarum prima incipere habeat, à porta Abduæ eundo per rectam lineam,uſque ad ipſum flumen Abduæ, & eundo à manu ſiniſtra ſecus Ripam dicti fluminis uſque ad ſtratam nuncupatam de Mediolano.§. Secunda pars ſit ab ipſa ſtrata uſque ad ſtratam de Laude ueteri, ſecus eccleſiam DIVI BASSIANI.§. Tertia uerò pars ſit ab ipſa ſtrata de Laude ueteri uſque ad ſtratam

ſtratam

ſtratam Sancti Angeli ſiuè Papienſem.§. Quarta uerò ſit ab ipſa ſtrata Sancti Angeli, uſque ad ſtratam Sancti Columbani. §. Quinta à dicta ſtrata Sancti Columbani uſque ad portonum portæ Cremonenſis, eundo per rectam lineam, per ſtratam, qua itur ad locum Iſpinæ. §. Sexta ſit ab ipſa ſtrata, qua itur ad locum Iſpinæ uſque ad ſtratam Placentinam. §. Septima ab ipſa ſtrata Placentina vſque ad Portam abduæ, & ſecus ipſum flumen Abduæ. §. Octaua pars ſit ultra flumen Abduæ, à ſtrata Eccleſiæ Angelorum, qua itur Cremam ſupra. §. Nona pars ab ipſa ſtrata Eccleſiæ Angelorum infra.

DE CAMPARIIS.

STatuimus, quòd omnes quarterii clauſorum, & quodlibet Commune loci, Caſtri, Capſinæ, Domus, & Villæ Epiſcopatus & iuriſditionis Laudæ, teneatur, & debeat, in principio cuiuſlibet anni, conſtituere Camparios, uidelicet,quilibet quarterius, & quælibet Villa habens in ſuo Territorio perticas tres mille terræ, Camparium unum, Et à dicta ſumma perticarum trium mille ſupra Camparios duos & plures ſi uoluerit, & ſi locus erit abſque Conſule & modicæ quantitatis, talis locus, quo ad Camparium ſit & intelligatur Villæ proximioris annexus, qui per

Conſules ſuos , ſeu Conſulem , cum duobus aliis hominibus ipſius loci , conſignentur dictis officialibus uel maiori parti eorum , infra quindecim dies , poſt Calendas Ianuarii cuiuslibet anni, Et quòd dicti domini officiales in principio , dicti menſis Ianuarii ſeu infra quinque dies dicti menſis proclamari facere debeant ex parte ipſorum , quòd Conſules quarteriorum Villarum, & locorum , & vt ſupra debeant feciſſe ſuos cãparios , ſecundum formam præſentium ordinum.§.Quorum Campariorũ officium duret per totum annum, & ultra,uſque ad Conſtitutionem aliorum , ſub pœna cuilibet quarterio , & cuilibet Villæ & ut ſupra omittenti prædicta , librarum uiginti quinque imperialium , Et nihilominus teneatur eos Camparios conſtituere, & conſignare ſub eadem pœna , quam incurrant ſingulis menſibus quibus ſteterint in negligentia , prædicta. §. Et intelligantur Camparii , per præfatos quarterios , uel Communia Villarum , & ut ſupra facti & electi,ſi Conſules , uel Conſul , aut Vicini prædicti conſignantes eos , dixerint , & iurauerint , eos Camparios factos , & electos eſſe per dictos quarterios , & Villarum Communia,& ut ſupra in congregatione unita ſeu per maiorem partem eius congregationis . §. Hoc ſemper intellecto quòd dicti Camparii eſſe debeant homines bonæ famæ , & opinionis arbitrio dictorum officialium, & habere debeant in bonis ualimentum librarum quinquaginta imperialium,

de

de quibus dicti D. officiales , uel maior pars eorum , ſub pœna periurii , debeant recipere bonam informationem , antequam huiuſmodi camparii admittantur,& eo ipſo quod admiſſi fuerint intelligantur bonæ famæ & opinionis & habere in bonis ualimentum ſupraſcriptum . §. qui camparii conſtituti utſupra in aſſumptione ſui officii teneantur , & debeant in manibus notarii officii præfatorum D. officialium iurare ſolemniter , & ſatiſdare , cum bonis fideiuſſoribus , pro ſumma librarum quinquaginta imperialium , de faciendo , & exercendo ſuum officium benè , ſolicitè , & fideliter , & de cuſtodiendo , & ſoluando res , & fructus territorii ſuæ campariæ , & de quærendo , & toto ſuo poſſe inueniendo , omnes , & ſingulos damnificantes in dictis rebus , & etiam in uiis , ſtratis , pontibus , uſchieriis , clauicis,incaſtris, & aliis rebus quibuſcunque exiſtentibus in dicto territorio dictæ Campariæ , & de accuſando quamlibet perſonam , quam inuenerit dare damnum,aut committere quicquam in debitum , contra officium dictorum dominorum officialium , ſiuè contra præſentes ordines , & de reſtituendo damna quæ darentur in territorio , aut rebus ſuæ campariæ , exceptis caſibus in quibus non tenentur per formam ordinum , & de ſoluendo omnem condemnationem , quæ de eis fieret per dictos officiales , ac de ſe præſentando coram dictis officialibus , uel maiori parte eorum , ſaltem ſingulo menſe una uice , ad referendum , per eum geſta , circa dictum officium , ſub pœna

ſolidorum quinquaginta imperialium pro quolibet, & qualibet uice, qua ſe non præſentauerint ut ſupra.§. Et quòd nulla ſolutio fiat de dicta præſentatione notario.§. Quæ præſentationes ſcribantur per notarium in actis eius, ſub pœna ſolidorum uiginti imperialium ſi non ſcripſerit dictas præſentationes.

ITem quòd quælibet perſona iuriſditionis Laudæ, poſsit per ſe, uel legitimum nuntium, conſtituere, & habere ſuis propriis expenſis, camparios ſpeciales, unum, uel plures, ad cuſtodiam rerum ſuarum, quas habet in diſtrictu Laudæ, qui conſtitui poſsint quocunque tempore, & qui debeant coram dictis D. officialibus iurare in manibus Notarii ut ſupra ad formam ſupradictam.

ITem quòd camparii ſupradicti per communia, & loca, ut ſupra electi, & conſtituti, ſint exempti ab oneribus, & factionibus perſonalibus communis Laudæ, nec mitti debeant ad exercitum, uel caualcatam durante eorum officio, Ita tamen quòd huiuſmodi immunitas non præiudicet cameræ & pro mercede ſuæ cuſtodiæ poſsint recipere, & exigere quolibet anno denarios duos imperialium pro qualibet pertica terræ dominicali, alios denarios duos pro parte maſſæ, & à dominis buſchorum, pro qualibet pertica terræ buſchiuæ denarios octo, uidelicet medietatem dicti ſalarii

In quibuslibet calendis menſis Martii, & aliam medietatẽ in quibus calendis Octobris proxime ſubſequentis, & ita ipſi domini, & laborantes, ipſas terras & utſupra, debite referendo, teneantur, & obligati ſint in dictis terminis ipſis Campariis ſoluere dictum ſalarium ad computum ſupraſcriptum & præfati D. officiales, Magnificus D. Prætor, & quilibet eorum, ſint iudices competentes, cogereque & compellere poſsint quamlibet perſonam, ad id remittentem ſummarie.

ITem, quòd ſi filius familias, eligi contingerit in Cãparium, non admittatur, niſi fuerit de conſenſu ſui patris. & niſi pater habuerit in bonis illam quantitatem, & eo modo quam habere debet camparius quarterii, uel loci, aut uillæ utſupra, Et intelligatur habere dictam quantitatem in bonis ſufficienter, quo ad ipſam campariam recipiendam, ſi pater habuerit utſupra, quod cognoſci debeat eo modo & ordine quo cognoſcitur de aliis campariis utſupra, & pater in diſtincte pro filio teneatur.

ITem, quòd campani quarteriorum, & locorũ, ſiue uillarum, & utſupra, non teneantur ad reſtitutionẽ damnorum in domibus, molendinis, & lamis, datorum aliquo tempore.

ITem, quòd ſi camparius alicuius quarterii, uel uillæ & utſupra fecerit reſtitutionem alicuius damni dati, uel aliquid ſoluerit pro aliquo damno, & aliquo tempore, ille qui dictum damnum dederit inueniretur, uel de eius bonis ille camparius per quẽ

dicta reſtitutio facta fuerit, uel aliquid ſolutum fuerit, poſſit conſequi ſolutionem de omni eo, quòd ſoluerit ipſa occaſione contra ipſum qui dictum damnum dederit, & eius bona, & de omnibus expenſis & ei campario ſummariam in hoc officiales prædicti teneantur facere rationē, tam contra perſonam quam contra eius bona, qui dictum damnū dederit, reiectis cauilationibus quibuſcunque & ſola facti ueritate inſpecta, tam die feriato, quàm non feriato.

ITem quòd dicti camparii conſtituti, ad cuſtodiam teneantur omnia, & ſingula damna per eos inuenta notificare, & delinquentes, ſeu damnum dantes eos quos inuenerint accuſare, coram officio dictorum officialium, uidelicet camparii habitantes in clauſis Laudæ infra octo dies, & in Epiſcopatu Laudæ infra duodecim dies, poſtquam inuenerint damnum, ſub pœna pro quolibet, & qualibet uice limitata, & terminata per infraſcriptos ordines. §. Et dicto tempore elapſo, camparii poſſint accuſari, hoc tamen intellecto, ꝙ dicti officiales, & maior pars eorum, poſſint ex officio ſuo procedere, ad inueniendum & puniendum delinquentem ſeu qui damnum dederit.

ITem, quòd nullus camparius, præſumat facere pactum, nec conuentionem cū aliquo cōmuni quarterii, uel uillæ, & vtſupra, cuius fuerit camparius, nec cum aliqua perſona pro ipſo cōmuni, de non accuſando damnū dantem, uel de non denuntiando damna data, uel ꝙ cōmunia quorum ſunt cam

parii

parii obligati ſint ſoluere condemnationes, quæ de eo fuerunt factæ pro aliquibus comiſſis, uel omiſſis per ipſos camparios contra formam præſentiū ordinum Cōmunis Laudæ, ſub pœna cuilibet cāpario librarum uiginti imperialium pro qualibet uice, & Communitati ipſius quarteni, ſeu uillæ librarum uiginti imperialium. §. Et de prædictis habeant dicti officiales abſolutam & ſingularem Bailiam inquirendi, procedendi, & condemnandi eis modis, quibus & prout eis dictis officialibus uidebitur conuenire. §. Et quilibet poſſit eſſe accuſator, ſeu denuntiator, & admittatur etiam quilibet de loco, uel uilla, cuius erit camparius accuſatus, inquiſitus, uel denuntiatus, ad teſtificandum contra dictum camparium, etiam ſi cum eo factum fuiſſet pactum prædictum, ſeu conuentio prædicta, & talis accuſans abſolutus eſſe intelligatur ipſo iure ab omni pœna, quam alias incurſus fuiſſet uigore præſentis ordinis,

ITem, quòd ſi quis camparius aliquid receperit, per ſe, uel per ſubmiſſam perſonam, ab aliqua perſona cōmuni & utſupra, vt omittat aliquam accuſam, uel taceat aliquam perſonam, quæ damnum dediſſet, aut taceat damnum, quod ſciuerit ipſe camparius, condemnetur in quadruplo eius, ꝙ recepiſſet & ipſo iure priuatus ſit, ab omni officio campariæ uſque ad quinque annos proximè ſecuturos, ſaluis aliis pœnis appoſitis per præſentes ordines contra camparios omittentes, uel negligentes. § Et adhibeatur fides ei qui tributum dediſſet, cum eius ſacramento contra campariū arbitrio tñ D. officialiū.

ITem, quòd ſi camparius alicuius quarterii, uel uille, caſſaretur ab officio, uel moriretur, uel efficeretur inhabilis, uel ſe abſentaret à territorio Laudæ, vel in carceribus poneretur, cõmune illius quarterii, uel uillæ, & utſupra, alium eius loco ſufficientem conſtituere, & conſignare teneatur, infra terminum aſsignandum per dictos officiales, uel maioré partem eorum, ſub pœna librarum uiginti quinque imperialium pro qualibet uice. §. Hoc addito ꝙ cõmunitas illa, cuius talis camparius moriretur, uel incarceratus, uel in habilis eſſet, uel qui receſiſſet, teneatur notificare officio dictorum D. officialium talem conditionem dicti camparii infra octo dies ſub pœna librarum decem imperialium.

ITem, quòd non poſsint dicti camparii, nec dicta cõmunia quarterii, & utſupra, nec aliquis eorum, allegare damnum datum, in aliqua re fore datum per perſonam damnificatam, & reſtitutionem petentem ſiuè ad eius inſtantiam, ſed ſi perſona damnificata, ſiuè eius legitimus nuntius, iurauerit ipſum damnum non per ſe, nec ad eius inſtantiam, ſed per alium datum eſſe, ſibi fides plena adhibeatur, ſuper qualitate, ſpecie, ac modo damni dati, & quòd per alium fuerit, datum, nec etiam proſit dictis cãpariis, nec cõmunitatibus negare rem damnificatam eſſe, ſeu fuiſſe in ſuo territorio, uel curte, ſeu guardia, imò perſonæ damnificatæ fides adhibeatur ſuper hoc, ſaluo ꝙ camparius, & cõmunitas, poſsit probare contrarium, & aliàs non admittantur ſuper huiuſmodi exceptionibus.

ITem, quòd ſi quis camparius alicuius quarterii, uel uillæ & utſupra, omiſerit notificare infra terminum limitatum, aliquem, quem inuenerit dare damnum, uel facere contra præſentes ordines, uel ſi omiſerit notificare damna datá per eum inuenta, etiam ſi non inuenerit damnificantem, uel non uiderit dictum damnũ, condemnetur in primis duobus caſibus in duplo eius quo condemnari debuiſſet dator dicti damni, & in duplum damni dati damnum paſſo, & in tertio caſu condemnetur ad reſtitutionem damni dati damnum paſſo in duplum, ſaluo ꝙ ſi infra decem dies reperiatur dictus damni dator, tunc dictus camparius non condemnetur in aliquo. §. Teneatur etiam quilibet camparius, tam ſpecialis, quàm alicuius quarterii, uel uillæ, & ut ſupra incontinenti manifeſtare perſonæ damnificatæ damnum ſibi datum, & perſonam quæ illud dederit, ſi ſciuerit, ſub pœna librarum quinque imperialium pro qualibet uice.

ITem quis camparius, damnum dederit in aliquibus rebus, condemnetur in duplum eius, quo condemnaretur ſi non eſſet campanus.

DE ACCVSATIONIBVS pro damnis datis.

STatuimus, quòd dominus, poſſeſſor, colonus, ſiuè maſſarius, partiarius, fictabilis, vel inquilinus, emphiteota, aut feudatarius, eorumque tutor, & curator, & quilibet de ſua familia, etiam factor extra domum exiſtens cuiuſcunque ſexus exiſtat, tamen annorum quatuordecim, ſocer, &

ſororius, agnati, & cognati, uſq; ad quartum gradum incluſiuè, accuſare poſſit quemlibet, quem inuenerint damnum dare, uel dediſſe in re aliqua ſaluo quòd ille de familia, talem accuſationem dare non poſſit, ſinè conſenſu capitis familiæ, ſi fuerit in ciuitate, uel diſtrictu Laudæ, & ſi dicatur non eſſe in ciuitate, uel diſtrictu Laudæ bene dare poſſit, & ſuper ea procedatur, niſi remiſſa fuerit per ipſum caput familiæ, uel eius nuntium, aut per accuſatorem, cum conſenſu tamen unius ex proximioribus capitis familiæ, in caſu abſentiæ patris familiæ.

ITem, quòd quilibet intelligatur de familia illius, cum quo & ad cuius cibum, & potum uixerit, & ſteterit, quo ad, effectum ſtatuti præcedentis tantum. Et ſi negatum fuerit, aliquem eſſe de familia alicuius, ſufficiat ſi ille de cuius familia eſſe dicatur, hoc affirmet per ſacramentum, uel per alias legitimas probationes doceatur, & ſi negatum non fuerit adhibeatur ei fides, qui ſe de alterius familia aſſeruerit.

QVALITER QVESTIO ætatis ſit decidenda.

STatuimus, quòd ſi de ætate alicuius perſonæ dubium fuerit, ſeu controuerſia coram dictis officialibus, poſſint, & debeant ipſi officiales terminare & arbitrium determinandi habeant, per aſpectum perſonæ, & per illas coniecturas, ſecundum quod eis uidebitur de eadé perſona, quo ad effectũ ſtatuti præcedentis, de accuſationibus pro damnis datis.

QVOD EX PROCESSV SVper accuſat one facto nullum fiat præiuditium proprietati nec poſſesſioni.

STatuimus, quòd per aliquam condemnationem, uel ſententiam, uel abſolutionem, uel proceſſum quouiſmodo factam, ſiuè factum, & tam hactenus quàm in futurum per præfatos officiales, uel maiorem partem eorum, damnorum datorum, uel per D. Poteſtatem Laudæ iudicem appellationum ipſarum ſententiarum, damnorum datorum, uel coram eis, pro ipſis cauſis, nullum generetur, nec generari intelligatur præiudicium, uel damnum alicui perſonæ, collegio, uel uniuerſitati, in proprietate, uel poſſesſione, ſeu quaſi, alicuius rei mobilis, uel immobilis, iuris, ſeu ſeruitutis, cuius occaſione talis condemnatio, abſolutio, uel ſententia, ſeu proceſſus, facta, uel factus, appareat, Nulla lege, cauſa, uel exceptione obſtante.

DE TERMINO PETENDI reſtitutionem damni contra camparium uel commune.

ITem, quòd nullus exaudiatur contra camparium aliquem, nec contra cómune alicuius quarteri, uel uillæ, & utſupra, ad petendum reſtitutionem alicuius damni, niſi infra unum menſem à tempore dãni dati, ipſa reſtitutio in iudicio fuerit requiſita.

QVOD INTEROGATVS NOMEN & cognomen teneatur interoganti exprimere.

STatuimus, quòd ſi quis inuentus fuerit, in aliquo damno, & interogatus fuerit, teneatur nomen &

cognomen ſuum,& ſociorum,ſi aliquos haberet,& numerum beſtiarum,in damno inuentarum,& nomen,& cognomen illius,cuius beſtiæ eſſent,dicere,& declarare cuilibet habenti auctoritatem accuſandi de ipſo damno,& ſi contrafecerit condemnetur in duplo eius quo ipſe,& ſocii ſui, & dominus beſtiarũ condẽnari deberent,pro ipſo damno. §. Et liceat cuilibet habenti auctoritatem accuſandi accipere pignus,uel aliquam beſtiam,cuilibet perſonæ non uolenti declarare nomina, & cognomina eius & ſociorum ſuorum,& numerum Beſtiarum,& nomina,& cognomina, illius, cuius dictæ beſtiæ eſſent.§.Quod pignus,uel beſtiam dictus pignorator,teneatur ipſa die,uel ſequenti præſentare coram officio præfatorum officialium,quo ad habitantes in clauſis,Quo uerò ad habitantes in Epiſcopatu, termino trium dierum ſub pœna librarum quinque imperialium, ſaluo ꝙ ſi talis perſona quæ prædicta,uel aliquod prædictorum recuſaſſet dicere, & declarare, utſupra infra tertiam diem, comparuerit coram officio præfatorum officialium,& dixerit & declarauerit uoluntariè ea de quibus interrogatus fuerit, tunc pœna dupli ſibi remittatur, & tantum in ſimplo condemnetur,& habeat regreſſum contra ſocios ſuos,& dominum beſtiarũ, de eo, quod pro ipſorum pœna per ſoluere coactus fuerit §.Et ſi quis mutauerit ſibi nomen,uel cognomen puniatur pœna librarum uiginti imperialium,Hoc intellecto quòd præſens diſpoſitio non habeat locum contra minorem annis quatuordecim, niſi quo ad poſſendum ſibi accipere pignus, uel beſtiam.§.Et ſi aliquæ Beſtiæ inuentæ fuerint damnum dare,

poſſint

poſsint dictæ Beſtiæ ſeu aliqua,ſeu aliquæ ex eis, conduci propria auctoritate,ad hoſpitium,& ibi illas conſignare dummodo denuntietur dicto officio D.officialium termino de quoſupra debitè referendo.

QVOD D. OFFICIALES TENEANTVR ire ad uidendum locum.

STatuimus,quòd dicti officiales,uel maior pars eorum, ſi fuerint requiſiti, teneantur eligere unum ex ipſis, qui habeat ire ad uidendum, & examinandum quemlibet locum damni, uel delicti comiſſi, de quo quæſtio uertatur, ſeu diſcordia, coram eis. Vtrum ſit in eo loco datum damnum, uel ne, uel utrum ſit talis locus, in quo potuerit committi illud delictum prætenſum,& antequam uiſus fuerit dictus locus vt ſupra,& determinatum fuerit per illos qui iuerint ad uidendum prædicta, Nulla condemnatio fieri poſsit contra illum, qui petierit dictum locum uideri, & ſi facta fuerit, ipſo iure ſit nulla,& nunquã exigatur,dũmodo pro poſſe ſuo, qui petierit dictum locũ uideri procuret quòd officiales prædicti,uel aliquis eorũ,infra terminũ octo dierum, à die accuſationis deductæ ad notitiã ipſius accuſati,eat ad uidendum locum,aliter procedatur perinde, ac ſi non eſſet petitus aliquis officialis.§.Et ipſe officialis habeat, & habere debeat,pro ſuo ſalario eundi ad dictum locum, ſolidos quadraginta imperialium qualibet die, & notarius ſolidos uiginti ultra expenſas cibarias ſoluendas per partẽ petentem locum uideri, quas poſtea ei reſtituere teneatur pars aduerſa ſi ſuccubuerit.

F

DE OBLATIONE AESTIMATIONIS DAMNI DATI.

STatuimus,quòd ſi ab aliqua perſona,uel cõmunitate per aliquem cuiuſuis conditionis, reſtitutio damni peteretur,(ultra illã quantitatẽ,de qua damnum paſſo,cũ ſacramento fides adhibeatur ſecundum formam ordinis,& ille contra quem peteretur ad euitandas expenſas æſtimationis,ſe offeret petenti ad aliquam quantitatem perſoluendam pro emendatione ipſius damni, ſi ipſe petens reſtitutionẽ de ea quantitate oblata nõ contentetur), tunc ipſum damnũ æſtimetur ſecundum formam præſentiũ ordinũ,& ſi æſtimatio facta non fuerit ultra quantitatẽ oblatam,petens reſtitutionẽ prædictam perſoluat omnes expenſas,parti aduerſæ factas circa ipſam æſtimationem, & ſi ipſa æſtimatio, ultra quantitatem oblatam fieret,tunc ipſe,contra quem reſtitutio petita fuit ad eas expenſas factas circa æſtimationem prædictam,teneatur.

DE MODO ET FORMA æſtimandi damna data.

STatuimus,quòd in cauſis damnorum datorũ ubi dubitari contingerit de damno dato,uel de quantitate damni dati D.officiales uel duo ſaltem ex eis requiſiti,teneãtur compellere partes,ad eligendum duas perſonas uidelicet unam pro parte, quæ expenſis ſuccumbentis ire debeant,ubi damnum datum allegatur,& diligenter conſiderare, an damnũ datum fuerit & in qua quãtitate,& ſecundũ quod inuenerint referre debeant dictis D.officialibus,in ſcriptis cũ iuramento.§.Poſſit tamen etiam unica tantũ pſona eligi,ſi partes ita conuenerint,ſecundũ

cuius

cuius,uel quorum relationem,dicti D. officiales teneantur procedere ad abſolutionem,uel condemnationem ſi perſonæ electæ fuerint concordes.§.ſi autem diſcordes fuerint eligatur per dictos D. officiales,ſeu per duos ex eis,ut ſupra,Tertius,pariter expenſis ſuccumbẽtis,ſecundũ cuius relationem cũ iuramento in ſcriptis fiendã dicti D.officiales omnino nulla penitus exceptione admiſſa,& etiã non obſtãte ſtatuto de ſapiẽtibus dandis,teneantur. abſoluere,uel condẽnare,Et prædicta procedãt tam in damnis quæ oculata fide uideri poſſunt q̃ etiam in damnis quæ poſſunt iudicio intellectus cõſiderari.

QVO'D NVLLA QVADRVpes dare debeat damnum.

STatuimus,quòd ſi aliqua quadrupes magna uſq; ad magnitudinem Suis incluſiue,damnũ dederit, in foſſatis ſtratarum publicarum,uel aliarum ſingularum perſonarum,condemnetur dominus,tentor, uel poſſeſſor,uel cuſtos dictarum beſtiarum,in ſolidis quinque pro qualibet beſtia,& pro qualibet uice,ſi damnum dederit de die,& ſi de nocte duplicetur pœna.§.In buſchis uerò & ſabiis,de primo ſecũdo folio,& ſimiliter in oniciis condẽnetur in ſolidis decẽ imperialiũ ſi fuerit de die,& ſi de nocte in ſolidis uiginti quinq; imperialium, & ſi in hortis, pratis,broliis,ronchis & uitibus, dum tenſæ erunt uſque per totum menſem octobris, condemnetur in ſolidis quindecim imperialium, ſi fuerit de die, & ſi de nocte, pœna duplicetur.§. Si uerò in uitibus nouellis, quæ nundum tenſæ ſint, uel in aliquibus arboribus Moris,uel aliis arboribus fru-

ctiferis inſertis,condemnetur in ſolidis uiginti imperialiũ ſi de die,& ſi de nocte pœna duplicetur.§. Et ſi in aliquibus ſemineriis,uel aliis fructibus campeſtribus in quibus intelligatur etiã chouæ, ſcaphimetæ,ſeu acerui bladorum,& leguminum, & uuarum exiſtentium in campis,ſiue in areis, uel ſedminibus condemnetur in ſolidis triginta,ſi de die,& ſi de nocte,in libris tribus .§. Si uerò fuerint beſtiæ minutæ , ut ſunt capræ hirci ,oues , & agni, quæ damnum dederint in dictis rebus , condemnetur dominus & ut ſupra in medietate dictarum pœnarum, ſaluo quòd pro hircis,& capris, & paſculantibus,& damnum dantibus, in uitibus,hortis, uel broliis condemnetur ad modum beſtiarum groſſarum. §. Et ulterius condemnetur in quolibet caſu caſuum prædictorum ad reſtitutionem damni damnum paſſo in duplum.

DE POENIS CONTRA perſonas damnum dantes.

STatuimus,quòd nullus audeat,uel præſumat de alienis rapiciis,uel rapis,capere, ſub pœna ſolidorum quinque imperialium,& ſi in corbellis uel faſſo,in ſolidis duodecim imperialium & ſi cum ſacco in ſolidis triginta imperialium.§.De fœno exiſtente in prato alieno , uel in herba ſeminata pro paſcendo beſtias,uel herba prati,uel uicia, uel de alienis oleribus in faſſo uel branchis , in ſolidis uiginti quinque imperialiũ,& ſi cũ equo in turſa,uel in ſaccis,ſub pœna ſolidorũ quinquaginta imperialiũ, & ſi cũ plauſtro,ſub pœna librarum quindecim imperialiũ.§.Si uerò in ciceribus,uel aliis leguminibus,

ſeu bladis grosſis,& minutis pendentibus,uel ſecatis in faſſo , uel in branchis , ſub pœna ſolidorum uiginti quinque imperialiũ,& ſi cũ Equo in Turſa uel in ſaccis , ſub pœna librarũ quinque imperialium,& ſi cũ plauſtro ſub pœna librarũ uiginti imperialium.§,Et prædictæ pœnæ, ſi fuerint de nocte , duplicentur , & in prædictis caſibus pœna habeat locum pro quolibet,& qualibet uice , & in quolibet prædictorum caſuum, condemnetur damnificans ad reſtitutionẽ damni in duplũ damnũ paſſo

DE EODEM.

STatuimus, quòd nemo audeat,uel præſumat incidere, extirpare,uel sgabare,uel ſcauezare in toto uel in parte,aliquas arbores agabatas cuiuſcunque generis ſint,ſuper alieno,quæ intelligantur eſſe agabatæ poſt primum talium factum de eis, ſub pœna cuilibet contrafacienti qualibet uice, & pro qualibet arbore, ſolidorũ quinquaginta imperialiũ,neq; extirpare, incidere,uel ſcauezare,in toto,uel in parte, aliquos plantonos,uel manegias, ſub pœna ſolidorum quindecim imperialium cuilibet contrafacienti, qualibet uice, & pro quolibet plantono. §. Et ad dictam pœnã teneatur,& condemnetur quilibet incidens sgabans & ſcauecians utſupra ſingula ſingulis congruè referendo, dato,quòd non exportauerit.§.Similiter etiam condemnetur quilibet exportans, uel conducens,dato , quòd non fuiſſet inuentus incidere, sgabare, ſcauezare, aut extirpare, uel aliter damnum dare.§. Si uerò tantum inciderit de ramis dictarum arborum aptis pro plantonis,uel rangonis,uel manegiis, fiendis,condemnetur,pro quolibet plantono , uel Rangono,ſeu ma-

negia, in ſolidis,quinque imperialium. §. Si uerò inciderit de ſtropellis ſuper dictis plantis, exiſtenubus,condemnetur in denariis ſex pro quolibet ſtropello §. Et ulterius condemnetur. In quolibet prædictorum caſuum,ad reſtitutionem damni in duplum damnum paſſo,& prædictæ pœnæ, ſi fuerit de nocte, duplicentur.

DE EODEM.

STatuimus, quòd nemo audeat ſbrocare ſeu facere fraſchas in alienis Arboribus, ut vulgo dicitur, da cima,in toto, uel in parte, ſub pœna ſolidorum quadraginta imperialium pro qualibet planta,& ſi in arbore agabata condemnetur in ſolidis triginta imperialium pro qualibet planta, & qualibet uice, ſi de die, & ſi de nocte pœna duplicetur,& ad reſtitutionem damni in duplum damnum paſſo.

DE EODEM.

STatuimus, quòd ſi qua perſona, in aliena uirea extirpauerit,uel amouerit aliquos Rangonos, uel palos, uel manegias, de alienis uitibus, & qui eſſent ad alienas uites, ſeu exportauerit, dato quòd ipſe non extirpauerit, condemnetur pro quolibet rangono,uel palo,uel manegia,qualibet uice in ſolidis tribus imperialium,& ad reſtitutionem damni damnum paſſo in duplum in quam pœnam incurrant & incurriſſe intelligantur,etiam maſſarii & alii de eorum familia,qui poſtquam fuerint examinati de maſſaritio, ſiue de per ſe licentiam acceperint, amouerint,uel extirpauerint de Rangonibus, uel

palis

palis, uel manegiis æxiſtentibus uel qui æſtiterant ad uites dominorum ſuorum.

QVOD LAVDENSIS TENEAtur pro forenſi damnum dante, uel ei auxilium præſtante.

STatuimus, quòd ſi quis Laudenſis, reperiretur in comitiua,cum aliquo forenſi,& reperiretur dictus forenſis comittere prædicta ſeu aliqua alia damna,teneatur ipſe laudenſis ad pœnam pro forenſi, Et ad eandem pœnam laudenſes dantes, præſtantes,uel accomodantes,dictis forenſibus,& ſiue etiam ſtipendiatis equam, uel equos à ſalma, aut nauem, plauſtrum, uel carretam, pro abducendo dicta ligna, rangonos, palos, uel plantonos, uel manegias, utſupra, teneantur & obligati ſint pro ipſis forēſibus,& ſtipendiatis prædicta cōmittentibus niſi accomodantes probēt id feciſſe bona fide.

DE EODEM

STatuimus,quòd ſi quis intulerit damnum, in aliquibus ceſiis, ſiue poſtiliis manu factis, arearum, ſediminum broliorum, & hortorum, condemnetur in ſolidis quinque imperialium ſi de die,& ſi de nocte fuerit pœna duplicetur.§.Si uerò in aliis ceſiis campeſtribus condemnetur in ſolidis decem octo imperialium, & ſi fuerit de nocte duplicetur pœna,& in quolibet prædictorum caſuum ad reſtitutionem damni dati in duplum damno paſſo.

DE EODEM.

STatuimus, quòd ſi qua perſona ætatis annorum quatuordecim, uel ſupra, iuerit, uel repertus fuerit ire, uel iuiſſe, uel damnum dare, uel dediſſe, in hortis, uel broliis alienis, condemnetur in libris quatuor imperialium pro qualibet uice, ſi fuerit de die & ſi de nocte pœna duplicetur. §. Si uerò inciderit, uel extirpauerit, uel fregerit uel repertus fuerit, incidere, uel frangere aliquam plantam, uel de Ramis ipſarum arborum, in omni caſu pœna duplicetur ſi de die, uel ſi de nocte utſupra, Et in quocunque caſu condemnetur ad reſtitutionem damni damnum paſſo. §. Et ſi fuerint duo, uel plures, ſocii, qui iuerint, uel damnum dederint utſupra, & unus, uel plures ex eis, accuſauerint uel denuntiauerint, conſocios ſuos, qui prædicta comiſerint infra decem dies poſt prædicta comiſſa ut ſupra (dum modo non fuerint accuſati, uel denuntiati per aliam perſonam) ipſe, & ipſi ſic accuſantes, uel denuntiantes conſocium, uel conſocios ſuos, ſint abſoluti à dictis pœnis, & conſequantur, & lucrentur medietatem pœnæ, in qua inciderint prædicti ſic accuſati uel denuntiati, & alia medietas diſtribuatur ſecundum diſpoſitionem præſentium ſtatutorum, & cuilibet ſic accuſanti, uel denuntianti conſocios ſuos, ut ſupra credatur cum ſacramento ſuo, arbitrio D. officialium.

DE EODEM.

STatuimus, quòd ſi quis in alieno fundo inciderit, uel extirpauerit, uel repertus fuerit incidere, uel extirpare aliquam plantam Vitis, uel arboris

exiſtentis pro Opio, uel Opium ad aliquam Vitem uel plantam aliquam alterius arboris fructiferæ, uel plantatæ pro fructificādo cuiuſcunque generis ſit, uel plātam aliquam arboris Mori, Onicis, uel Opii, condemnetur pro qualibet planta in libris ſex imperialium. §. Si uerò tantum fregerit de Ramis ipſarum arborum, uel Vitium condemnetur. in ſolidis quadraginta imperialium, pro quolibet & qualibet uice. §. Hæc tamen diſpoſitio non habeat locum, in Cereſolis paruis, quæ naſcuntur per cloſſos & extirpantur pro ponendo ad uites, & in quolibet caſu prædicto condemnetur ad reſtitutionem damni in duplum paſſo damnum.

DE EODEM.

STatuimus, quòd ſi quis in alieno fundo inciderit, uel extirpauerit, uel ſcauezauerit, uel exportauerit, aliquam plantam, uel plantas arborum, cuiuſcunque generis ſint, puniatur qualibet uice, & pro qualibet planta, ſi fuerit groſſitiei, unius canteri in libris quatuor imperialium, & ſi fuerit groſſitiei minoris unius canterii ſed groſitiei brachii hominis, condemnetur in ſolidis quadraginta imperialium, ſi uerò fuerit minoris groſſitiei brachii hominis, condemnetur in ſolidis uiginti imperialium. Et prædictæ pœnæ ſi fuerit de nocte, duplicentur, & ulterius condemnetur ad reſtitutionem damni in duplum damnum paſſo.

DE EODEM.

STatuimus, quòd ſi qua perſona, maior annis decem, Vuas, poma, perſica, uel alios fructus, cuiuſ-

cunq; generis ſint , acceperit in campis,uineis,bro-
liis,hortis,uel ronchis alienis,condemnetur .in ſoli-
dis decem imperialium .§. Et ſi de uitibus uuas
exportauerit condemnetur pro quolibet grapello
uſquè ad grapellos octo,in ſolidis duobus imperia
lium.§.& ſi in rociis in ſolidis uiginti imperialium
pro quolibet rocio,& ſi cũ corbellis in ſolidis qua-
draginta imperialium , & ſi in ſacco condemnetur .
In libris quatuor imperialium,& ſi cum equo in li-
bris decem imperialium,& ſi cum plauſtro uel car
reta in libris uiginti quinque imperialium.§.Et idẽ
habeat locũ in aliis fructibus ſingula ſingulis con
gruè referendo .§. Et ſi quis acceperit de alienis ſo
lis Moronorum,condemnetur in ſolidis quinque
imperialium pro qualibet libra , Et ſi prædicta , uel
aliquid prædictorũ comiſſum fuerit, de nocte,pœ-
na duplicetur,& in quolibet prædictorum caſuum,
condemnetur ad reſtitutionem damni damnũ paſ-
ſo in duplum .§. Et prædicta non habeant locum
contra mulieres grauidas dum modo non expor-
tent Vuas,uel alios fructus.§.Et ſi qua pſona du-
xerit canem in uitibus alienis , tempore quo ſunt
maturæ Vuæ uſquè ad uindemias finitas,condem
netur in ſolidis decem imperialium pro quolibet ,
& qualibet uice , & nemo intelligatur ducere , niſi
ipſa perſona intrauerit uites , & ad reſtitutionem
damni in duplum damnum paſſo.

DE EODEM.

STatuimus,quòd aliquo tempore per aliquam per
ſonam, non ponatur, nec poni poſſit , nec debeat
ignis pro comburendo ,in Lamiis, nemoribus,uel
ſabiis

ſabiis alienis,nec aliquibus locis confinantibus cũ
ipſis lamiis nemoribus, uel ſabiis ſub pœna cuili-
bet contrafacienti , qualibet uice librarum decem
imperialium,& ulterius condemnetur ad reſtitutio
nem damni dati in duplum damnum paſſo.

DE EODEM.

STatuimus , quòd ſi quis inciderit in alieno Bu-
ſcho,campo ſeu prato,aut de eis exportauerit,uel
abduxerit ligna aliqua à carega hominis infra,ſi fue
rint ligna ab igne tantum, condemnetur in ſolidis
quatuor imperialium pro quolibet, & qualibet ui-
ce.§.Si uerò inciderit,aut exportauerit à carega ho
minis ſupra , uſque ad quantitatem unius caualla-
tæ,condemnetur in ſolidis triginta imperialium .§.
Si uerò inciderit,aut exportauerit in quantitate uni
us carretæ ,condemnetur in libris ſex imperialium
pro qualibet carreta.§ Si uerò in quantitate unius
plauſtri,in libris decem imperialium.§.Et pro qua-
cunque nauicula in libris triginta imperialium .§.
Et pro quacunque naui magna,in libris quinqua-
ginta imperialium & in quolibet prædictorum ca-
ſuum condemnetur . ad reſtitutionem damni in
duplum damnum paſſo & ſi fuerit de nocte pœ-
næ ſupraſcriptæ duplicentur.§.& ſi quis ſecauerit,
uel acceperit paruciũ,uel paleam,uel ſtipulas ſu-
per alieno,condemnetur ſi fuerit quantitatis unius
faſſi,in ſolidis decem imperialium,& ſi quantitatis
unius turſiæ in ſolidis uiginti imperialium,& ſi uni
us carretæ in libris quatuor, & ſi unius plauſtri in
libris octo imperialium , & in quolibet prædictorũ
caſuum condemnetur ſimiliter dans damnum in
duplum damnum paſſo.

DE EODEM.

STatuimus , quòd ſi per aliquam perſonam iuriſditionis Laudæ fide dignam,arbitrio dictorum officialium,denuntiatum fuerit officio præfatorũ officialium , ꝙ aliquis conduxerit,uel conduci fecerit,uel habuerit,aut portauerit,ligna in quauis quãtitate,quæ ligna,& eorum quantitatem perſona denuntians dicat,& per ſacramentum affirmet, ſe uidiſſe,& credere,quòd ſint de ſuis,uel de illis domini ſui,dicti officiales,uel aliquis eorum,uinculo ſacramenti,teneantur illico, citari facere perſonam denuntiatam,& diligenter,& caute perquirere,ubi ipſa ligna acceperit,uel accipi fecerit, aut accepta fuerint,dãdo ſibi terminum,quem eis officialibus, uel alteri eorum,competentem uidebitur , ad hoc probandum.§.Et ſi ipſa perſona denuntiata non probauerit, uel non oſtenderit , ubi ipſa ligna potuerit impunè accipere,uel accipi facere ,aut ubi impunè accepta fuerint dicta ligna,credantur,& præſumantur eſſe accepta,in damnum contra formam ordinum,& condemnetur denuntiatus in pœnis ſecundum formam ſupraſcriptorum ordinum loquentium de pœna accipientis, uel extirpantis ligna , ſecundum qualitatem,& quantitatem lignorum,prout in dictis ordinibus continetur .§. Idem ſeruetur fiat,& locũ habeat,ut arboribus Moris,Opiis,Oniciis,& aliis quibuſcũq; arboribus fructiferis, & nõ fructiferis,alicui extirpatis,& exportatis,& etiam de fœno,ſtipula,herba,palea,bladis,leguminibus,uua uino,fructibus quibuſcunque,& Moronorum foliis, conſiderata eorum quantitate,& diſpoſitione , & forma ordinum,de his mentionem facientium.

§. Et

§. Et dicti officiales poſſint etiam inquirere ab introducentibus in ciuitate ſuper prædictis , & quolibet prædictorum.

DE EODEM.

STatuimus, quòd ſi aliqua perſona receptauerit in domo, uel in curtili ſuo proprio, uel conducto,aliquam quantitatem lignorum ab aliqua perſona , quæ uerſimiliter præſumi poſſit, dicta ligna in alieno accepiſſe, condemnetur in libris decem imperialium.§. Et quilibet præſumatur uериſimiliter ligna in alieno accepiſſe, qui non habeat aliqua nemora propria, uel conducta, uel poſſeſſiones proprias, uel conductas, uel ad maſſarium,ex quibus uериſimiliter poſſent dicta ligna eſſe accepta. §. Et præſens diſpoſitio extendatur, & locum habeat, in receptantibus quoſcunque fructus, cuiuſcunquè maneriei ſint,& alias res , prout in præcedenti ſtatuto,niſi receptans probauerit ligna,uel alias res , licitè habitas fuiſſe.

DE EODEM.

STatuimus, quòd ſi in domo,uel in curtili ſuo proprio,uel conducto , alicuius perſonæ, reperta fuerit aliqua quantitas lignorum cuiuſcunque generis exiſtat, quæ præſumatur in alieno fuiſſe accepta , & ipſa talis perſona per præfatos officiales, uel aliquem eorum, interrogata fuerit, quis ea ligna repoſuerit,& per eam reſponſum fuerit, neſcire, tunc & eo caſu præſumatur illa talis perſona , quæ in illo curtili habitat tantum culpabilis,& in dolo eſſe,& tunc per præfatos officiales & utſupra ,con-

demnetur in pœna contenta in præſentibus ordinibus, iuxta eorum qualitatem, & quantitatem. §. Et idem ſeruetur, fiat, & locum habeat, de ſtipula, fœno, herba, palea, bladis, & leguminibus, uua, uino, fructibus quibuſcunque, conſiderata eorum qualitate, & diſpoſitione, & forma ordinũ de his facientium mentionem. Et talis perſona nõ incurrat in dictis pœnis, ſi ipſam talem quantitatem lignorum, & rerum utſupra debite referendo repoſitarũ, termino unius diei, quò in clauſis, & termino tridui, quò in Epiſcopatu, notificauerit officio præfatorum officialium.

DE EODEM.

ET quia in agro Laudenſi, ex Terris percipi non poſſunt fructus, abſque maxima impenſa, in fabricando, ac manutenendo in caſtra, leuatas, clauicas, Nauacias, Arzenos, & alia ædificia, pro conducenda aqua, & irrigandis ipſis terris, propterea ad reprimendum malorum hominum temeritatem, qui in dictis ædificiis damna dare audent.

STatuimus, quòd nullus præſumat, damnum dare in Ripis, in caſtris, uſcheriis, fundis, leuatis, Arzenis, Nauaciis, uel clauicis, uel aliis ædificiis, ſub pœna cuilibet contrafacienti, ſi damnum fuerit à ſolidis decem imperialium infra, librarum decem imperialium, & ſi à ſolidis decem vſque ad ſolidos uiginti imperialium, in libris uiginti, & ſi à ſolidis uiginti, uſque ad quadraginta, in libris triginta imperialium, & ſi à ſolidis quadraginta ſupra,

pra,

pra, condemnetur in libris quinquaginta imperialium, & in quolibet prædictorum caſuum condemnetur ad reſtitutionem damni duplicati damnum paſſo.

DE EODEM.

STatuimus, quòd ſi aqua Rugiæ, alicuius perſonæ decurſum fecerit in alieno prædio, & damnũ dederit, ſiue in Bladis, ſiue in pratis, aut leguminibus, uel aliis quibuſcunque rebus, condemnetur habens, uel habentes facere in ipſa Rugia, ad reſtitutionem damni in duplum damnum paſſo, Saluo & intellecto, quòd ſi apparuerit, uel oſtendi poterit, quòd illud damnum euenerit ex dolo, culpa, uel negligentia alicuius perſonæ, uel aliquarũ perſonarum, condemnetur, uel condemnentur ad reſtitutionem damni in quadruplum damnum paſſo. §. Et non intelligatur damnum, ſi euenerit ex aliqua Topinaria, quæ improuiſa apparuerit in Ripa Rugiæ, uel ex inundatione aquæ, cum de facili non poſſit eis prouideri, dummodo ipſe, uel ipſi habentes facere in ipſa Rugia, fecerint debitas prouiſiones ipſi Rugiæ, de incaſtris, fughis, & foratoriis, pro obuiando ipſis inundationibus, arbitrio præfatorum officialium.

DE EODEM.

STatuimus, quòd pœna ſit facienti, uel permittenti aſcendere ſuper ſtratam, uel uiam, ſeu acceſſum, uel ſuper terras uicini ſeminatas, uel non

aquam, quum aqua adaquat, reſecat, uel macinat, ſeu adaquari, reſecari, uel macinari faciat, librarum trium imperialium pro quolibet loco adaquato, & qualibet uice, & etiam condemnetur ad reparationem illius ſtratæ, acceſſus, ſeu uiæ, in parte, qua damnum feciſſet, & ad reſtitutionem damni damnum paſſo in duplum.

DE EODEM.

STatuimus, quod ſi aliqua perſona, alicui terras ſuas debito tempore irriganti, aliquod impedimentum fecerit, aquam ad proprias ſuas terras, ſeu ad alienas diuertendo, uel aliter impediendo, puniatur talis perſona impediens in libris decem imperialium pro qualibet uice, & ulterius ad refectionem damni in duplum damnum paſſo, & ſi hoc factum fuerit de nocte, pœna duplicetur.

DE EODEM.

STatuimus, quòd nullus audeat tranſuerſare terram alienam ſeminatam, pratiuam, uineatam, uel ſedimina, cum plauſtro, uel carreta, uel aliis beſtiis, ſub pœna ſolidorum decem imperialium pro qualibet uice. §. *Si uerò* per terram uacuam, buſchiuam, uel ſabiam, aut lamiam, condemnetur in ſolidis quatuor imperialium, Quæ omnes pœnæ duplicentur ubicunque fierent prædicta præſente & contradicente domino, poſſeſſore, uel cultore dictæ rei, uel aliquo de eorum familia, & in quolibet caſu, teneatur ad refectionem damni in duplum damnum paſſo pro qualibet uice.

DE EODEM.

STatuimus, quòd ſi quis intrauerit hortum, ſiue Brolium alicuius clam, aliterquam per hoſtium, ſiuè portam, condemnetur in libris tribus imperialium, & ulterius ad damnum in duplum damnum paſſo.

DE EODEM.

STatuimus, quòd omnes fictabiles, Maſſarii, ſiue Bracentes, teneantur facere, & manutenere ſepes circa curtilia ſua, altitudinis cubitorum quatuor ad minus, ad effectum, ut eorum animalia non diſcurrant ad dandum damna. Et hoc ſub pœna ſolidorum quinquaginta imperialium pro quolibet, & qualibet uice.

DE VIIS PVBLICIS, SEV priuatis, acceſſibus, & pontibus manutenendis.

STatuimus, quòd quilibet commune Caſtri loci, uel uillæ, & quælibet domus, ſeu Capſina ſeparata Epiſcopatus, & iuriſditionis Laudæ, teneatur, & debeat ſecundum quòd ſe extendunt territoria ſua, exceptis uia Mediolanenſi, Papienſi, Placentini, Cremonenſi, & Monzaſcha, & Cremenſi, aptare & aptas tenere uias publicas, uel priuatas, acceſſus, & pontes poſitos, & exiſtentes per eorum territoria, ſic quòd per eas uias, acceſſus, & pontes, toto tempore anni, quilibet cum plauſtris, bobus, equis, & aliis animalibus, ire, & redire poſſit, ſic quòd amoueatur cauſa damnum

dandi, eundo, equos, boues, plauſtra, uel alia animalia ducendo, per terras alienas, Saluo quod ſi aliqua ſingularis perſona ſtratam, uel acceſſum, uel pontem aptare teneretur propè ſuas terras, illa ſingularis perſona quantum ei tangit, teneatur illas ſtratas, & acceſſus, & pontes, tenere aptatos ſuis expenſis, ſecundum diſpoſitionem Cõmunis illius loci, in cuius territorio ſituatæ fuerint dictæ ſtratæ, acceſſus, & Pontes, & hoc ſub pœna cuilibet Cõmuni cuiuslibet Caſtri, ſeu Villæ, & utſupra librarum quinque imperialium, & cuilibet Capſinæ, ſeu ſingulari perſonæ, ſolidorum quinquaginta imperialium. §. Et ulterius teneantur ad reparationem uiæ, acceſſus, & pontis infra terminum, iuxta quãtitatem operis, arbitrio dictorum D. officialium ſtatuendum ſub eadem pœna.

DE EODEM.

STatuimus, quod quodlibet Cõmune Epiſcopatus Laudæ, ac etiam quælibet perſona particularis clauſorum Laudæ, deſcripta in libro factæ Communitatis Laudæ, teneantur, & debeãt aptare, & aptatas tenere ſtratas in eo libro deſcriptas, iuxta cõpartitum factum, ſeu fiendum ſub pœna cuilibet Cõmuni librarum decem imperialium, & cuilibet perſonæ particulari librarum trium imperialiũ pro qualibet uice, qua prædicta facere omiſerint, Et nihilominus dictas ſtratas aptare teneantur termino per dictos D. officiales iuxta operis quantitatem limitando, ſub eadem pœna debitè referendo.

DE EODEM.

STatuimus, quòd conducentes aquam Mutiæ, ſeu aliam aquam, teneantur, & debeant manutenere pontes lapidis, ſuper omnibus ſtratis, uidelicet ſuper ſtrata Cremonenſi, Placentina, de Foſſa dolto, Papienſi, Mediolanenſi, & Monzaſcha § Super omnibus uerò aliis ſtratis, uiis, & acceſſibus, teneãtur tenere, & manutenere pontes lapideos, ſiuè ligneos bonos, & idoneos, pro equitando, & carrezando, Et quicunque repertus fuerit in huiuſmodi locis, & partibus non habere huiuſmodi Pontes, ut ſupra dictum eſt, aut minus idoneos habere uel fractos, condemnetur pro qualibet uice in libris tribus imperialium. §. Et nihilominus teneatur Pontem idoneum utſupra facere ſeu aptare infra terminum per dictos D. officiales limitandum ſub pœna prædicta.

DE EODEM.

STatuimus, ut ſtratæ, & uiæ Cõmunis Laudæ manuteneantur, quod quilibet uolens excauare, ſeu purgare foſſatum aliquod, iuxta aliquam ſtratam, teneatur & debeat, totam terram proicere in ſtratã, excepta prima uangatura, quam proicere poſſit in campum, & ſi ſolummodo illud purgare uoluerit per uangaturam unam, terram ipſam proicere teneatur in ſtratam, & qui contrafecerit incurrat pœnam ſolidorum quadraginta imperialium qualibet uice.

DE NOTIFICATIONE damni dati domino danda.

STatuimus, quòd ſi damnum datum fuerit per inciſionem, uel extirpationem arborum, à ſolidis decem ſupra, quòd fictabilis teneatur illud notificare domino, infra quinque dies à die damni dati, idem ſit ſi damnum datum fuerit in qualibet alia re, in qua domino interſit damnum datum non fuiſſe. §. Idem facere teneatur maſſarius partiarius, alioquin ad eius damni reſtitutionem teneatur fictabilis, uel maſſarius, ſub cuius cuſtodia, uel laborerio fuerit terra, uel res, in qua damnnm datum fuerit. §. Et ſuper damno dato credatur aduerſus fictabilem uel maſſarium ſacramento domini. §. Super quantitate uerò, ſeruetur ſtatutum poſitum ſupra ſub rubrica de probationibus. §. Et de notificatione domino data credatur fictabili, & maſſario cum iuramento & uno teſte fidedigno.

DE POENA INIVRIANTIS dominos officiales, accuſatorem, uel notarium.

STatuimus, quòd ſi quis auſus fuerit iniuriare aliquem, ſeu aliquos, ex ſupradictis D. officialibus, dum eorum officium exercent, puniatur in libris centum imperialium, quarum medietas aplicetur Regiæ Ducali Cameræ, Altera uerò medietas aplicetur communitati Laudæ. §. Si uerò aliquem accuſatorem iniuriauerit in præſentia dictorum D. officialium, uel alicuius eorum, puniatur in libris uiginti quinque imperialium aplicandis ut ſupra. §. Et eadem pœna puniatur iniurians notarium of-

ficii dictorum D. officialium, Ita tamen quod D. Prætor Laudæ poſſit has pœnas moderare iuxta qualitatem facti, & perſonarum, eius arbitrio.

APPROBAVIT, & confirmauit, rataque & inconcuſſa eſſe uoluit, & mandauit, ita ut eis contradici, aut opponi nullo modo poſſit, Iniungimus propterea omnibus, & ſingulis, quibus ſpectat, ut illa quò ad omnium notitiam uenire queant, publicari in locis debitis, & conſuetis, deinde in archiuio Laudæ recondi, & reponi facere debeant, ac inuiolatè obſeruari, his de quibus in precibus contrarium diſponentibus non obſtantibus, Quibus hac in parte tantum derogamus. In quorum fidem præſentes noſtro ſigillo munitas fieri, & regiſtrari iuſſimus. Dat. Mli octauo Auguſti. M. D. LXII. In calce G. Roccha cum ſigillo Regio Ducali Excellentiſſimi Senatus pendenti, Diplomatũ more.

EDICTVM PVBLICATIONIS STATVTORVM.

ESſendoſi di ordine della Magnifica Cõmunita de Lodi, reſformati,& ſtabiliti gli ſtatuti uecchii concernenti le coſe delle uittualie, & danni dati, & altre coſe, à beneficio & utilita publica, & eſſendo detti ordini confirmati & approbati per l'Eccellentisſimo Senato de Milano, Et uolendo il Magnifico de l'una & l'altra legge dottore il Signor Aluiſio de Campo,regio & ducal podeſtà della ſudetta Magnifica Città de Lodi,coſi inſtando li Magnifici ſignori Præſidenti della ſudetta Cõmunita, ancora in eſecutione della ſudetta confirmatione che detti ordini ſi publicano,& uenghino à noticia d'ogni perſona.

Per tanto in nome del prefato S. Podeſtà ſe da per la preſente Crida, noticia ad ogniuno che da qui inanti i detti ordini ſe haueranno à oſſeruare nella præſente Città de Lodi & ſua iuriſditione,& detti ordini s'incominciaranno à metere in eſſecutione à calende di Genaro proſimo che uiene del. 1563. Certificando ogniuno che da qui à detto termine, detti ordini con diligentia ſe imprimerano, acciò ogni perſona ne posſi hauere copia, & ſapere la lor diſpoſitione & continentia, & detti ordini confermati & ſigillati con il ſugello de ſua R. & D. Maeſta Catolica ſono preſſo alli infraſcritti Canzelleri de la ſudetta Magnifica Cõmunita, acciò ſi poſſino uedere. Dat. Laudæ die ſabbati. xvii. Octobris. 1562. ſexta inditione. Signata Aluiſius de Campo prætor,& ſubſcripta Franciſcus Quinterius Notarius & Canzellerius ſubſcripſit. Adrianus

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

nus Pontirollus notarius publicus Laudæ & coadiutor Spectabilis D. Aluiſii Zumali Canzellarii præfatæ Magnificæ Cõmunitatis ſubſcripſit.

Poſtea uerò die Veneris. xx. menſis Nouembris anni. 1562. inditione ſexta. Franciſcus de Azate, & Io. Iacobus de Paganis publici Tubatores Communis Laudæ. Retulerũt mihi Franciſco Quinterio notario publico Lauden. Canzellario Magnificæ Communitatis præfatæ ciuitatis Laudæ & etiam mihi Adriano Pontirollo pariter notario publico Laudæ & coadiutori Spectabilis D. Aluiſii Zumali Canzellarii præfatæ Magnificæ Cõmunitatis Laudæ ſe ex parte præfati Magnifici & Clarisſimi. I. V. Doctoris D. Aluiſii de Campo prætoris utſupra. Inſtantibus Magnificis D. Præſidentibus præfatæ Magnificæ Communitatis Laudæ,die ſabbati. xvii. dicti Menſis Octobris in Ciuitate Laudæ & diebus lune. xvi. in loco Caſalis Puſterlengorum ac Martis. xvii. in loco Paulli & Mercurii. xviii. menſis præſentis Nouembris in loco Sancti Angeli Epiſcopatus Laudæ & in locis & horis conſuetis mercati dictorum locorum ſono Tubæ præmiſſo publicaſſe ſupraſcripta ſtatuta prout habuerunt in mandatis. Rogantes &c.

Franciſcus Quinterius notarius & Canzellarius utſupra dictam relationem fideliter recepit & ſe ſubſcripſit.

Adrianus Pontirolus notarius & coadiutor ut ſupra. relationem utſupra factã fideliter recepit & ſe ſubſcripſit.

EGo Io.Baptiſta Micolus ciuis & Notarius publicus Laudeñ.ac Notarius deputatus Archiuio publico Cõmunis Laudæ fidem facio ſupraſcriptos ordines, ſeu eorum copiam per Agentes Magnificæ Cõmunitatis præfatæ ciuitatis Laudæ mihi notario deputato utſupra conſignatã fuiſſe, eoſquè ordines, ſeu ſtatuta in præfato Archiuio fuiſſe recondita iuxta formam literarum ſeu confirmationis ſupra narratæ,& in fidem me propria manu ſubſcripſi. Signumquè mei Tabellionatus conſuctum appoſui.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

DECVRIONES. AD ORDINEM SVARVM.
ELECTIONVM DESCRIPTI.

Gabriel Cademuſtus.
Paulus Mauritius Mozanica Comes.
Franciſcus de Laude Doctor.
Lancilottus Conradus Doctor.
Antonius Ricardus.
Io.Baptiſta de Epiſcopo.
Aurelius Saccus.
Octauianus Quinterius Cauſidicus.
Io. Baptiſta de Camolis.
Iacobus Antonius Villanus.
Ioannes Barnus.
Io.Angelus Vignatus Columnellus.
Chriſtophorus Codatius.
Io.Auguſtinus Bononus.
Bartholomæus Conradus Doctor.
Io.Iacobus Muzanus.
Alexander Muzanus.
Hieronymus Vignatus.
Theodorus de Ponte.
Tiberius Azatus.
Alexander Fiſiraga.
Paulus Emilius Sumaripa Doctor.
Antonius Fiſiraga.
Antonius Maria de Laqua.
Stephanus Villanus, Cõitatis Theſaurarius.
Brandimars Fiſiraga.
Io. Iacobus Cademuſtus.
Alexander Maldotus Doctor.
Io.Paulus Barnus.
Pertinatus Bononus.
Io.Baptiſta Summaripa.
Io.Baptiſta Micolus Cauſidicus.
Franciſcus Pontirollus.
Io.Baptiſta Sablus.
Alexander de Ello.
Ioannes à Canibus de Biſnate Eques.
Alexander Gauatius.
Maffæus Micolus.
Pomponius Ottolinus Doctor.
Iacobus Andreas Cagnola.
Ludouicus Bracchus Cauſidicus.
Io.Auguſtinus Viſtarinus Capitaneus.
Io.Baptiſta Modegnanus Cauſidicus.
Hieronymus Carminatus.
Aſcanius Modegnanus Doctor.
Mercurius Ottolinus.
Camillus Pontirollus Doctor, ordinũ prædictorum Compilator.
Ludouicus Berinzaghus.
Lancilottus Viſtarinus.
Hieronymus Pellatus.
Octauianus Modòetia,
Ioannes Gauatius.
Barnabos Maynerius.
Io.Baptiſta de Doſſo.
Ioannes de Brauis.
Marcellus Verona Capitaneus.
Bartholomæus Bracchus.
Franciſcus Boldonus.
Ferdinandus Viſtarinus,
Fabricius Pellatus.
Andreas de Baſsis.
Eraſmus Biſnatus.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА



IMPRESSI MEDIOLANI
Decreto Decurionum
Reipub. Lauden.

M. D. LXII. menſe Decembris.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА
2.3.179
Н 183642